

### **Appendix: Sources in Original Language**

The sources are given here in their original language in the order in which they appear in the thesis. Regarding the narrative sources I have only reproduced the relevant section(s). The diplomatic material is treated differently; where the entire charter or letter is relevant to the thesis I have replicated the source in full, otherwise I have only provided the relevant line(s). Witness lists are usually only included if they inform part of the argument in the thesis. The sections that I have translated are in bold. Punctuation, capitalisation, italicisation and style preferences such as c/t and ae/e/æ/ę tor/tur and u/v etc are used according to the original editor's choice.

## Introduction

### 1.GN p.132

Hi, uxores clarissimas cum filiis gratissimis reliquentes, quicquid in affectionibus maius est proposito postposuerunt exilio. De honoribus possessionibusque reticeo, quae quidem extra nos sunt, sed illa stuporem nobis generant, quomodo maritorum uxorumque, sobole mediante, immo agglutinante, sine alterutrorum periculo ab invicem divelli poterant caritates.

'Chronique I', *Monumenta Vizeliacensia, Textes relatifs à l'histoire de l'abbaye de Vézelay, C.C.C.M.*, vol. 42, ed. R.B.C. Huygens (Turnhout, 1976), p.400

Tempore eiusdem abbatis Renaldi quidam parrochianus eius Stephanus Aicaphit Iherosolimam ivit et dum ibi moram faceret septennio, uxor illius alii viro nupsit. Postmodum vero memoratus Stephanus rediens uxorem repetiit, quae cum ei negaretur ante presentiam abbatis R(enaldi) eam convenit ibique causa cognita iudicio et auctoritate abbatis R(enaldi) suo viro restituta est et assistente Petro capellano Sancti Petri Superioris adulter et adultera penitentiam ab abbatе susceperunt.

### Chronique I, p.402

Alegreth iuratus dixit idem de causa matrimonii Oberti Salterelli et Helisabeth et Aimerici cerarii et filiae Blanchardi sartoris quod dixerat Hugo de Silviniaco et Benedictus cocus. Et dicit quod quedam mulier ivit Iherosolimam et cum moram faceret, vir eius aliam duxit; postmodum mulier reversa virum repetiit et in presentia istius Pontii cognita causa iudicio et auctoritate abbatis viro suo reddita est, sed nomina eorum non reminiscitur.

Nr. 354, Bernard of Clairvaux, *Sancti Bernardi Opera*, vol. 8, ed. J. Leclercq and H.M. Rochais (Rome, 1977), pp.297-298, here p.298

Opus est ut manum tuam mittas ad fortia et in muliere **exhibeas virum**, agens ea quae agenda sunt in spiritu consilii et fortitudinis. Ita prudenter et moderate oportet te cuncta disponere, ut omnes, qui te viderint, ex operibus regem te potius quam reginam existiment, NE FORTE DICANT IN GENTIBUS: <UBI EST rex Ierosolymorum?> <Sed non sum,> inquires, <ad ista sufficiens. Magna enim haec sunt; super vires meas, et super scientiam meam. Opera haec **opera sunt viri**: ego autem mulier sum, corpore debilis, mobilis corde, nec provida consilio, nec assueta negotiis.>

Nr. 377, Bernard of Clairvaux, *Sancti Bernardi Opera*, vol. 8, pp.340-41; here p.341

Propterea **VIRILITER AGITE ET CONFORTETUR COR VESTRUM**, quia vobiscum est Dominus Deus vester in protectione Regis et exsulis sui, qui imperabit ventis et mari, tumentes fluctus facile complanabit.

Chapter One: From Pilgrimage to the First Crusade Protection Privilege

**'Nicholai II - Synodica ad Gallos, Aquitanos, Vascones', MGH Const. I (Hanover, 1893), p.549**

Illi etiam, qui peregrinos vel oratores cuiuscumque sancti sive clericos sive monachos vel feminas seu inermes pauperes depraedati fuerint vel bona eorum rapuerint vel in malum eis obviaverint, anathematis vinculo feriantur, nisi digne emendaverint.

**'Panormia', PL 161, col. 1238**

Illi qui peregrinos vel oratores cujuscunque sancti, sive clericos, sive monachos, vel feminas aut inermes pauperes deprædati fuerint, vel bona eorum rapuerint, vel in malum eis obviaverint, anathematis vinculo feriantur, nisi digne emendaverint. Pax vero illa quam treugam olim dicimus sic observetur, sicut ab archiepiscopis, episcopis unicujusque provinciæ constituta est.

**Nr. 17, PL 157, col.520**

H. Lugdunensis episcopus, apostolicae sedis legatus, reverendo fratri I, Carnotensi episcopo, salutem.

Noverit fraternitas vestra clamorem fratris nostri Gis. Ebroicensis episcopi nuper ad aures nostras pervenisse de Ursone dapifero regis, qui in sanctæ Quadragesimæ diebus cepit quemdam parochianum ejus nomine **Rotgerum, causa orationis tendentem ad Sanctam Mariam Magdalenam de Vizeliaco, et ad sanctum Ægidium.** Scias autem non solum quadragesimali, verum etiam omni tempore, oratores, et pro Deo peregrinantes, ab omnium hostium incursu securos esse debere: et perturbatores eorum, utpote Dei timorem **præ oculis non habentes, debere puniri severitate ecclesiasticæ disciplinæ.** Interdiximus itaque omne divinum officium tam ipsi Ursoni, quam toti familiæ domus ejus, omnibusque in tanto sacrilegio ipsius coadjutoribus, vobis (cujus parochianus esse dicitur, quique vices defuncti archiepiscopi Senonensis geritis) apostolica auctoritate præcipientes, ut idem interdictum faciatis, et ex parte nostra, atque vestra clericis Aurelianensibus scribendo injungatis, quatenus ipsi Vitoni et familiae domus ejus, atque coadjutoribus ipsius divinum similiter officium interdicant, donec prædictum Rotgerum absque redemptione aliqua de capitione sua liberum abire permittat, et ablata ei restituat. Interdicimus etiam eadem auctoritate apostolica divinum officium fieri ubicunque captus tenebitur, dum ibi fuerit.

**'Decretum', PL 161, col.957**

**Placuit ne peregrinos transeuntes quis inquietare præsumat,** eisque nocere audeat, quia alii propter dominum, alii propter suas discurrent necessitates. Quod **si aliquis præsumptuosus fuerit, qui peregrino nocuerit vel eum assilierit, aut dispoliaverit, læserit, plagaverit, ligaverit, vendiderit, vel occiderit, ipsi peregrino sigillatum dupliciter,** sicut de alio homine solet componi, aut suo seniori vel socio cum sua lege

componat. Quod si mortuus fuerit, et seniorem ibi vel socium non habuerit, tunc episcopus aut sacerdotes ejusdem pagi ipsam compositionem in duplo, sicut de indigena distingente judice accipiant, et in suam eleemosynam illa tribuant, et **insuper 60 sol. fisco cogatur persolvere**. Et si peregrinum viventem reliquerit, omnem injuriam ei factam, ei quidquid illi intulit, dupliciter (ut prædictum est) et per singula illi componat, sicut solet de infra provinciam aliquem componere. Si autem eum occiderit, ut liberum hominem de ipsa provincia, in duplo componat, et ipsa pecunia a memoratis sacerdotibus in sua detur eleemosyna. **Quoniam Dominus ait: Peregrinum et advenam non constristabis (Exod. XXII)**

William of Malmesbury, *Gesta Regum Anglorum*, vol.1, ed. and trans. R.A.B. Mynors, R.M. Thomson and M. Winterbottom (Oxford, 1998), p.426

Iam uero interfecto Gisleberto a Radulfo patruele suo, **ubique cedes, ubique ignes uersabantur. Clarissima olim patria, intestinis dissensionibus exulcerata, pro latronum libito diuidebatur**, ut merito posset querimoniam facere: ‘Ve terræ cuius rex puer est!’

‘Treuga Dei Archidioecesis Arelatensis, c. 1037-1041’, MGH Const. 1, pp.596-97

(1) **Rogamus vos et obsecramus omnes qui timetis Deum et creditis in eum et ipsius sanguine redemti estis, ut caveatis et provideatis vos ad salutem animarum et corporum et sequamini vestigia Dei, pacem habentes ad invicem, ut cum ipso mereamini pacem et tranquillitatem perpetuam possidere.** (2) **Recipite ergo et tenete pacem et illam trevam Dei quam et nos divina inspirante misericordia de coelo nobis transmissam iam accepimus et firmiter tenemus, ita constitutam et dispositam videlicet: ut ab hora vespertina diei Mercurii inter omnes christianos, amicos et inimicos, vicinos et extraneos, sit firma pax et stabilis treuva usque in II. feriam id est die lunae ad ortum solis, ut istis quatuor diebus ac noctibus omni hora securi sint et faciant quidquid erit opportunum, ab omni timore inimicorum absoluti et in tranquillitate pacis et istius treuvae confirmati.** (3) **Quicumque hanc pacem et treuvam Dei observaverint ac firmiter tenuerint, sint absoluti a Deo patre omnipotente et filio eius Iesu Christo et Spiritu sancto et de sancta Maria cum choris virginum et de sancto Michaele cum choris angelorum et de sancto Petro principe apostolorum cum omnibus sanctis et fidelibus cunctis nunc et semper et per Omnia saecula saeculorum.** (4) **Qui vero treuvam promissam habuerint et se scientibus infringere voluerint, sint excommunicati a Deo patre omnipotente et filio eius Iesu Christo et Spiritu sancto et de omnibus sanctis Dei sint excommunicati, maledicti et detestati hic et in perpetuum, et sint damnati sicut Dathan et Abiron et sicut Iudas qui tradidit Dominum, et sint dimersi in profundum inferni sicut Pharaon in medio maris, si ad emendationem non venerint sicut constitutum est.**

**'Annales Barenses – Luperus Protospatarius', MGH SS 5 (Hanover, 1844), MGH SS 5, p.62**

1089. facta est synodus omnium Apuliensium, Calabrorum ac Bruziorum episcoporum in civitate Malfiae, ubi affuit etiam dux Rogerius et universi comites Apuleae et Calabriae aliarumque provinciarum. **Qua statutum est, ut sancta treuva Dei teneretur ab omnibus sibi subiectis.**

**'Annales Barenses', p.62**

**1091. iurata est treuva Dei a Normannis**

**GN, p.117**

Preterea omnes illos atroci dampnavit anathemate, qui eorum uxoribus, filiis aut possessionibus qui hoc dei iter aggrederentur per integrum triennii tempus molestiam auderent inferre.

**Nr. 178, PL 162, cols.176-77**

PASCHALI *summo pontifici, Ivo, humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, debitam cum omni devotione obedientiam.*

Secundum tenorem litterarum vestrarum quas dedistis Hugoni vicecomiti Carnotensi Hierosolymam eunti, **Rotrocum comitem ad justitiam vocavimus, qui accusabatur munitionem in terra ad jus prædicti Hugonis pertinente, postquam crucem acceperat, ædificare cœpisse; et Ivonem ejusdem Hugonis militem, qui prædictam terram ab ipso Hugone habebat in feudum, injuste cœpisse et redimisse.** In qua vocatione postulatum est a comite Rotroco, ut usque ad exitum causæ nihil in cœpta munitione ædificaret, nihil de redēptione Ivonis acciperet. Die statuta ventum est ad causam: obtulit se ad judicium Rotrocus, secundum ordinem gestarum rerum dixerunt petitiores, qui pro Hugone loquebantur, se nolle ad hanc causam ingredi nisi prius eis satisfaceret [al. satisficeret] de eo quod non erat intermissa ædificatio munitionis, et recredita redēptio Ivonis. Responsum est ex parte Rotroci neutrum debere fieri, quia munitio illa ei adjudicata erat in curia comitissæ, de cuius feudo erat, cum judicio Ecclesiæ ad prædictam curiam hæc causa translata esset, et prædictus Ivo pro peregrinatione Hugonis minime erat reddendus, cum prædictus Ivo Retrocum dominum suum diffiduciasset, et prædam ejus prior cepisset, homines suos, ea die qua captus est in vinculis haberet, et ad foris faciendum eidem armata manu militum ea die procederet. Dictum est ex altera parte quod possent omnes istas depulsiones veridicis assertionibue locis suis et temporibus falsificare, sed non esse accendedum ad ista, donec satisfactum esset de iis quæ prius objecta fuerant, nisi judicio cogerentur. Præceptum est ergo confidentibus clericis, ut hanc litem justa sententia dirimerent. Qui cum diu inde disceptassent, non potuerunt in unam convenire sententiam, dicentes **novam esse institutionem de tuitione ecclesiastica impendenda rebus militum Hierosolymam proficiscentium, neque scire utrum hæc tuitio ad solas pertineat proprietates eorum, an etiam pertineat ad casamenta eorum quæ tenent potentes homines se et sua, fortitudine sua defendantes.** Postulaverunt ergo sibi dari inducias, donec super hoc vestra requireretur

sententia. Quas inducias ea conditione dare voluit comes Rotrocus, ut ædificatio munitionis non intermitteretur, nec redemptio Ivonis suspenderetur. Quod concedere pars altera omnino refutavit, et de hoc iterum judicium postulavit. Quo judicio cum se prægravari timeret comes Rotrocus, audientiam apostolicam appellavit, cuius eum auctoritate premebamus. Mittimus ergo eos paternitati vestræ cum litteris nostris ordinem causæ continentibus, ut prudentia et potestate vobis divinitus concessa litem hanc dirimatis, quia inter nos homines isti magni sunt, nec a nostra parvitate, prout oportet, ad pacem cogi possunt. Valete.

**Nr. 19, *Epistulae et Chartae ad Historiam Primi Belli Sacri Spectantes quae supersunt aeo aequales ac genuinae, Die Kreuzzugsbriefe aus den Jahren 1088-1100*, ed. H. Hagenmeyer (Innsbruck, 1901), p. 174-75**

Paschalis episcopus, seruus seruorum Dei, uniuersis per Gallias archiepiscopis, episcopis, abbatibus salutem et apostolicam benedictionem.

Omnipotentis Dei miserationibus gratias debemus innumeras, quoniam temporibus nostris Asianam ecclesiam Turcorum manibus eripere et ipsam Dominicae passionis ac sepulturae urbem Christianae militiae dignatus est aperire. oportet autem et nos diuinam gratiam facultate, quam dederit, subsequi et fratribus nostris, qui in illis Palaestinorum quondam seu Chananaeorum finibus remanserunt, efficaciter subuenire. omnes ergo regionum vestrarum milites in peccatorum suorum remissionem uel ueniam cohortamini, ut ad illam matrem nostram Orientalem ecclesiam studeant festinare; eos praesertim, qui huius militae uoto crucis signa sumpserunt, illuc properare compellite , nisi paupertatis retineantur obstaculo: alioquin eos infames haberi decernimus. qui uero de Antiochena obsidione fide pusillanimi et ambigua recesserunt, in excommunicatione permaneant , nisi se reddituros certis securitatibus confirmauerint. **porro fratribus, qui post perpetratam diuinitis uictoram reuertuntur, iubemus sua omnia restitui, sicut a beatae memoriae Urbano praedecessore nostro reminiscimini synodali definitione sancitum.** ita in omnibus agite, ita pro uestro officio studete, ut mater illa nostra Orientalis ecclesia in statum debitum, largiente Domino, communibus studiis reformatetur.

**Nr. 15, MGH Die Briefe der deutschen Kaiserzeit 5 (Weimar, 1950), pp.33-35, here p.34**

Nunc dominus papa multum iratus pro furore legatorum illorum et incerta suggestione me Romam ad hanc proximam synodus, que in prima septimana XL<sup>me</sup> celebrabitur, vocat [et] ab officio episcopali suspendit, dum veniam ad ipsum. **Quod fieri debere ulli episcoporum nisi iudico fratrum in plena synodo non putabam.** **Periculus homo** vult iubere, que vult, episcopis ut villicis suis; que si non fecerunt omnia, Romam venient aut sine iudicio suspenduntur. Verum ego intelligo optime, qui sint ex nostris episcopis, qui pro odio gravissimo in dominum meum regem me eius adiutorem suis machinationibus in hos labores miserunt, me tamen in eo conflictu pro communi omnium commodo laborantem.

**DC, p.74**

**Quicumque pro sola devotione, non pro honoris vel pecunie adeptione, ad liberandam ecclesiam Dei Hierusalem profectus fuerit, iter illud pro omni penitentia ei reputetur.**

**DC, p.73**

**Statutum est ut in omni die et monachi et clerici et femine et qui cum eis fuerint in pace permaneant.** Tribus autem diebus scilicet secunda et tertia et quarta feria iniuria ab aliquo alicui illata non reputabitur pacis infractio. Quatuor autem reliquis diebus **si quis alicui iniuriam intulerit infractionis sancte pacis reus habeatur, et prout iudicatum fuerit punitatur.**

**DC, p.108**

Hec sunt precepta Urbani pape, data in Arvernensi concilio.

1. Treugam Domini teneri sicut iurata est.
2. Ammoneri populum de itinere Hierosolimitano et quicumque ibit per nomen penitentie tam ipse quam res eius semper sint in treuga Domini.

**Nr. 8, PL 163, col.35-36**

PASCHALIS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri IVONI Carnotensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Religiosis desideriis dignum est facilem præbere consensum, ut fidelium devotio celarem sortiatur effectum. Idcirco petitioni tuæ, charissime frater et coepiscope Ivo, benignitatis apostolicae accommodamus auditum, ut quod juste omnibus sacerdotalis ordinis fratribus deberi cognoscimus, fraternitati tuæ singulari scripti confirmatione praestemus. Omnia siquidem episcoporum clericorumque rebus provisum est, **cum in Arvernensi concilio consentibus archiepiscopis duodecim, episcopi LXXXII, a domino prædecessore nostro beatæ memoriae Urbano salubriter est statutum: Si quis episcoporum, seu presbyterorum aut aliorum clericorum deficientium res invaserit, usque ad satisfactionem excommunicetur.** Hoc igitur synodale decretum nostra quoque auctoritate firmantes, de vestra singula riterdomo pontificali statuimus, quam scilicet magnis expensis tua strenuitas ædificavit, ne quis obeunte te, vel tuorum successorum quilibet emigrante, seu occasione aliqua decedente, domum ipsam dissipare aut exscoliare præsumat, nec ab ea supellex ferri, vel plumbi, vel vitri, vel ligni, vel lapidis asportetur, aut obruatur; universa etiam pontificali ædi appendentia, videlicet coquinæ, horrea, cellaria, torcularia, furni, furnorumque domus integra, et omnino a rapinis conserventur libera; silve præterea, et quidquid extra urbem aut intra urbem ad episcopi salarium pertinet, nec donentur, nec venundentur, nec occasionibus aliis distrahantur, sed a rapina omni violentiaque semota, successori, qui per Dei gratiam ecclesiam recturus est, conserventur. Sane si quis in crastinum archiepiscopus, aut aliquis in aliquo cleri officio, vel honore constitutus, si quis rex, sive princeps, aut dux, comes, aut vicecomes, judex, advocatus, sive defensor, aut quælibet sacerdotalis persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, excommunicationi subjaceat. Cunctis autem apostolicae constitutionis decreta servantibus sit pax Domini nostri J. C. quatenus et hic fructum bonæ actionis percipient, et apud ditrictum judicem præmia æterna pacis inveniant. Amen, amen.

Scriptum per manum Petri notarii regionarii et scrinii sacri palatii.

Datum Romæ per manum Joannis sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconi cardinalis XVI Kalend. Martii, inductione VIII, Incarnationis Dominicæ anno 1100, pontificatus autem domini Paschalis II papae I.

**DC, p. 124**

**9. Tunc etiam expeditio facta est, et constituta est equitem et peditum ad Ierusalem et alias Asie ecclesias a Sarracenorum potestate eruendas. Et in eorum bonis usque ad redditum pax continua emulagata.**

**10. Et quia plereque Galliarum regiones alimentorum inopia laborbant indictum est treugam usque ad annos III villanis et mercatoribus esse continuam; militibus vero a V feria usque ad Dominicam per singulas ebdomadas observandam, clericis autem et monachis omnibus eque temporibus ac perinde peregrinis ad loca sacra tendentibus.**

**FC, p.128**

qui igitur episcopum ceperit, omnino exlex habeatur. qui monachos vel clericos aut sanctimoniales et eorum famulos ceperit aut exspoliaverit, vel peregrinos vel mercatores, anthema sit. Raptore et domorum combustores et eorum consentientes, ab ecclesia extores, anthemate feriantur.

**FC, pp.129-30**

quapropter treviam, sic vulgariter dictam, iam dudum a sanctis patribus determinatam, **reformari oportet**, quod ut firmissime in episcopatu suo unusquisque vestrum teneri faciat, monendo flagito, **quod si aliquis sive aviditate sive superbia tactus eam, sponte infregerit, Dei auctoritate et huius sancti concilii decretorum sanctione anathematizetur.**

**FC, p.140**

quod ut passim per provincias edictum est iurisiurandi firmitudine pacem, quam dicunt treviam, invicem tenendam constituerunt.

**Nr. 3, Kreuzzugsbriefe, pp.137-38; here p.138**

**iuuibus etiam coniugatis prouidendum est, ne temere tantum iter sine connuentia uxorum suarum adgrediantur omnipotens Deus in suo uos timore et amore corroboret et ab uniuersis peccatis et erroribus absolutos ad summae caritatis et uerae pietatis perducat intuitum.**

Chapter Two: Comital First Crusade Regencies: the Cases of Flanders and Champagne

OV, vol. 5, pp.228-30

Ea tempestate qua Rodbertus dux fratri suo Normanniam commisit, et ab eo magnam argenti copiam ad explendum iter ad sepulchrum Regis nostri recepit. Helias comes ad curiam regis Rotomagum uenit. Qui postquam diu cum duce consiliatus fuit ad regem accessit, eique humiliter dixit, ‘**Domine mi rex consilio papæ crucem Domini pro seruitio eius accepi, et iter in Ierusalem cum multis nobilibus peregrinis Domino Deo deuoui. Amiciciam ut uester fidelis uestram deposco et hoc iter cum pace uestra inire cupio.**’ Respondit ei rex, ‘**Quo uis uade, sed Cenomannicam urbem cum toto comitatu michi dimitte, quia quicquid pater meus habuit uolo habere.**’ Helias dixit, ‘Hæreditario iure consulatum auorum meorum possideo. Deoque iuuante liberis meis dimittam liberum sicut nunc teneo. Et si placitare uis iudicium gratanter subibo, et patrium ius secundum examen regum comitumque et episcoporum perdam aut tenebo.’ Respondit rex ‘Ensibus et lanceis innumerisque missilibus tecum placitabo.’ **Helias dixit, ‘Contra ethnicos in nomine Domini dimicare uolebam, sed ecce nunc uiciniorem contra inimicos Christi reperio pugnam.** Omnis enim qui ueritati resistit iusticiæque inimicus comprobatur Dei qui uera ueritas est et sol iusticiæ. Ipsi michi Cenomannorum preposituram dignatus est commendare, quam aliqua usus leuitate non debeo insipienter relinquere ne populus Dei predonibus tradatur sicut oves lupis absque pastore. Consilium uero quod celitus inspirata concepi mente universi optimates qui astatis palam audite. **Crucem Saluatoris nostri qua more peregrini signatus sum non relinquam, sed in clipeo meo galeaque et in omnibus armis meis eandem faciam, et in sella frenoque meo sacræ crucis signum infigam.** Tali karaktere munitus in hostes pacis et rectitudinis procedam et Christianorum regiones militando defendam. Equus itaque meus et arma mea notamine sancto signabatur, et omnes aduersarii qui contra me insurrexerint in militem Christi præliabuntur. **Confido in illo qui regit mundum, quod ipse nouit cordis mei secretum, et per eius clementiam opperiar tempus opportunum, quo possim optatum peragere uotum.**’

RR, p.728

Non vos protrahat ulla possessio, nulla rei familiaris sollicitudo, quoniam terra hæc quam inhabitatis, clausura maris undique et jugis montium circumdata, numerositate vestra coangustatur, nec copia divitiarum exuberat et vix sola alimenta suis cultoribus administrat. Inde est quod **vos in invicem mordetis et contenditis, bella movetis et plerumque mutuis vulneribus occiditis. Cessent igitur inter vos odia, conticescant jurgia, bella quiescant et totius controversiæ dissensiones sopiantur.**

**BB, p.14**

**Vos accincti cingulo militiae, magno superbitis supercilio;** fratres vestros laniatis, atque inter vos dissecamini. Non est hæc militia Christi, quæ discerpit ovile Redemptoris. Sancta Ecclesia ad suorum opitulationem sibi reservavit militiam, sed vos eam male depravatis in malitiam. Ut veritatem fateamur, cujus præcones esse debemus, vere non tenetis viam per quam eatis ad vitam: **vos pupillorum oppressores, vos viduarum prædones, vos homicidæ, vos sacrilegi, vos alieni juris direptores:** vos pro effundendo sanguine Christiano expectatis latrocinantium stipendia; et sicut vultures odorantur cadavera, sic longincharum partium auspicamini et sectamini bella. Certe via ista pessima est, quoniam omnino a Deo remota est. Porro si vultis animabus vestris consuli, aut istiusmodi militiæ cingulum quantocius deponite, aut Christi milites audacter procedite, et ad defendendam Orientalem Ecclesiam velocius concurrite.

**FC, p.136**

nunc fiant Christi milites, **qui dudum exstiterunt raptiores;** nunc iure contra barbaros pugnant, **qui olim adversus fratres et consanguineos dimicabant**

**Nr. 20, Actes des comtes de Flandre, 1071-1128, ed. F. Vercauteren (Brussels, 1938), pp.62-63**

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUE TRINITATIS, PATRIS ET FILII ET SIRPITUS SANCTI. Ego Rodbertus junior, Flandrensum marchyo, filius Rodberti senioris, cognomine Frisionis, sciens omne mortalium genus ad hoc in hac vita versari ut de hac convalle lacrimarum per desertum peregrinationis, viatico sibi divinitus adjecto, ad mansionem properans regni, ejusdemque viatici precipuam in stipendiis pauperum procurandis et suffragiis sanctorum conciliandis consistere portionem, commodum duxi Dominum in ecclesiis quibus ei canonice militatur de mea substantia honorare, ut, cum interventu sanctorum supplicationibus filiorum ecclesiæ nostro beneficio gratulantium eternam a Domino remunerationem mererer accipere.

Ego igitur, instinctu divinæ admonitionis, auctoritate apostolicæ sedis promulgato, iturus Jherusolimam, ad liberandam Dei ecclesiam diu a feris nationibus conculcatam, ut Deus omnipotens exercitio mei laboris effectum preberet, quo et honor nominis ejus sanctificatus dilateratur, et michi indeficientis denarii donativum restitueretur, assentiente uxore mea Clementia, cum filiis nostris Balduino et Wilelmo, bodium de Lescin, ecclesiæ Sancti Petri, apostolorum principis, in loco Isla nominato a predecessoribus meis constructæ, hoc ordine destinavi.

Engelbertus siquidem Cizoniensis et Rodgerus, castellanus Islensis, qui a me illud in feodum obtinebant, ituri mecum Jherusolimam, accepto a me concambio, ab omni exactione liberum michi reddiderunt. Ego vero illud ita liberum predictæ ecclesiæ, in perpetuam allodia possessionem super mensam Domini ad usus canonicorum contradidi.

Ut autem hæc traditio perpetuo inviolata servetur, sigilli mei impressione eam firmavi, adhibitis quam pluribus idoneis et nobilibus testibus, quorum nomina subscripta habentur:

Engelbertus, Rodgerus castellanus, Winemarus castellanus, Rodbertus castellanus, Walterus castellanus, Rodgerus junior castellanus, Balduinus de Gand, Onulfus senescalcus, Raulfus camerarius, Clarembaldus, Adam, Frumaldus, Cono, Everardus, Walkerus de Cumines, Gerardus de Floresberh, Gerardus de Waskenhal, Rodbertus de Arboreto, Amulrici de Landast, Gerardus frater ejus, Stephanus frater ejus, Raimarus Rufus, Frumoldus de Ipre, Wlfricus frater ejus.

Actum apud Islam, in pretaxata ecclesia, anno dominice incarnationis MXCVI, indictione IIII, regnante rege Philippo Francorum, episcopante Ratbodo in Noviomensi seu Tornacensi ecclesia.

EGO RAIMBERTUS, CANTOR ISLENSIS, SUBSCRIPSI.

**Nr. 22, Actes des comtes de Flandres, pp.65-67**

In nomine sancte et individue Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti amen. Notum sit tam presentibus quam futuris sancte matris ecclesie fidelibus, quod ego Rotbertus, Flandrensis comes, Dei gratia inspirante, Hierosolimam ibam, plurimo exercitu meo comitante; diverti autem cum quibusdam optimatibus meis ad abbatiam in honore sancti apostoli Bartholomei et beati Theodorici confessoris consecratam, ubi abbas et monachi reverenter susceperunt nos, cum processione ecclesiastica venientes nobis obviam. Qua expleta in claustrum suum nos duxerunt, ac per librum quemdam societatem et participationem orationum et elemosinarum suarum nobis concesserunt et dederunt. Ego autem **pro peccatorum meorum remissione et incolumitate mei meeque conjugis Clementie**, suprascriptis sanctis et abbatii et monachis ejus reddidi, quod antea dederat soror mea Adela illis, meo tamen favore; sed ego postea ipsis abstuleram quorumdam meorum suggestione, reddidi, inquam, partem terre et aque in saltu meo de Herlebecche, ut ibi restituat abbas vel monachi ejus, molendinos et duas domos atque capellam unam. **Hoc autem feci favore conjugis mee predicte Clementie, cui super hoc litteras sigillo meo corroboratas direxi, ut forestariis prohiberet ne sanctis, vel servis eorum aliquam injustitiam vel violentiam ulterius inferrent.**

Si quis autem hoc nostre benevolentie donum minuerit vel infregerit, in primis Dei et sanctorum ejus iram incurret, nostre autem amicitie gratia in perpetuum perdet. Hoc denique beneficio ipsis sanctis et eorum monachis a me concesso, addidi, eisque unum bunuarium prati prope molendinos concessi.

S. comitis Rotberti, S. comitis Ebali, S. Balduini de Gant, S. Rogeri castellanis de Insula, S. Onulfi dapiferi comitis, S. Eustachii pincerne comitis, S. Arnulfi de Ardea, S. Cononis et Rainieri, clericorum capellanorum comitis.

Actum in Monte Or, apud Sanctum scilicet Theodoricum, anno incarnati Verbi millesimo nonagesimo VI<sup>o</sup>, indictione IIII, epacta IIII, concurrente II.

**Nr. 23, Actes des comtes de Flandres, pp.68-70**

IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDUE TRINITATIS. Robertus junior, venerabilis Flandrensum comes, omnibus ecclesię filii salutem. **Notum sit omnibus Christo famulantibus quod ego Robertus comes junior et uxor mea Clementia, terras quasdam territorio Ariensi adjacentes**, curtem quoque Raineri quę est juxta Sanctum Venantium, cum omnibus appenditiis suis et terram duorum mansorum in Widebroc terramque unius mansi in Spilebrona, omnes quoque consuetudines et exactiones ac quicquid in predictis terris habebamus ecclesię Sancti Georgii Hesdinensis et ecclesię Sancti Salvatoris Aquicinensis cujus jam dicta ecclesia cella est, pro nostra nostrorumque predecessorum et successorum salutem contulimus. Ut autem hoc inconvolsum et inviolabile sempiterno tempore permaneat, sigilli mei impressione et episcoporum Gerardi Morinorum, Lamberti Atrebatensium, Radbodonis Noviomensium excommunicatione firmari, testimonio etiam atque signo subtersignatorum episcoporum, abbatum, optimatum atque principum meorum corroborari feci. Signum Gerardi Morinorum episcopi, S. Lamberti Atrebatensium, S. Radbodonis Noviomensium episcoporum, S. Lamberti abbatis Sancti Bertini, S. Alardi abbatis Sancti Bavonis, S. Aimerici abbatis Sancti Salvatoris Aquicinensis, S. Cononis et Everardi fratris ejus, S. Arnulfi de Aldinardo, S. Stephani de Boular, S. Rodulfi camerarii, S. Onulfi dapiferi, S. Alardi pincerne, S. Baldrici de Coham, S. Segardi et Arnulfi de Coches, S. Balduini castellani Ariensis, S. Ledelmi capellani et aliorum multorum.

**Nr. 5, PL 162, col. 15**

**Regius in excellentia vestra sanguis ex utraque linea descendens**, nobilitatem generis in oculis omnium [al. oculis hominum] manifeste commendat.

**Nr. 21, Cartulaire de Notre-Dame de Chartres, vol. 1, ed. E. de Lépinois and L. Merlet (Chartres, 1862), pp.98-99**

Communi capitulo Sancte Marie Carnotensis ecclesie St[ephanus] comes et A[delicia] comitissa; salutem. Volumus vobis notum esse nos concessisse ecclesie Sancte Marie vobisque terram Hervei, filii Arnaldi, scilicet illam quam habet apud Bullanam Villam.

**Nr. 70. Recueil des chartes de l'abbaye de Saint-Germain-des-Prés, vol. 1, ed. R. Poupardin (Paris, 1909), pp.114-15**

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Sapientum hoc consilio in consuetudinem venisse dinoscitur ut quecumque decernendo firmam vellent obtinere stabilitatem, ea litterarum et sigilli corroborata officio posterorum noticię relinquerent. Hoc eodem igitur **ductus consilio** ego HUGO, Dei gratia Suessorum episcopus, hujus decreti nostri rationem hoc modo volumus in futurorum cognitionem pervenire. **Rogatus enim aliquando, immo multis precibus obsecratus a domino nostro rege Philippo atque a domino<sup>1</sup> Isembardo, sancti GERMANI Parisiensis venerabili abbe, precibus quoque Stephani comitis et uxoris ejus Adelę inductus, eorum postulationibus, quia dignum erat, adquiescere statui.** Quod ergo postulationibus firmiter et totius capituli consilio concessimus, annuente unanimiter

---

<sup>1</sup> Read as domno

clero nostro, hoc est videlicet **ut ecclesia sancti GERMANI Parisiensis altare de villa Novigento, quę sita est super Maternam fluvium, perpetualiter cum omnibus appendiciis possideat libere et absque personę interventione, salvo episcopi et archidiaconi jure;** eo etiam tenore ut pro eodem altari sanctę Suessionensi ecclesię in festivitate sancti Mathei apostoli annis singulis. v. solidi persolvantur aut post eam diem infra dies anno lege facta reddantur, et minime perdatur. Hoc itaque a nobis constitutum, ne quis in posterum violare audeat sub anthemate interdicimus, atque etiam signi nostri ceterorumque necessariorum astipulatione firmamus.

**Nr. 92, Cartulaire de Marmoutier pour le Dunois, ed. É. Mabille (Châteaudun, 1874), pp.79-82 (witness list omitted)**

In nomine summæ et individuæ trinitatis, patris et filii et spiritus sancti, Ego Stephanus comes, Tetbaldi incliti comitis palatini filius atque heres, **una cum uxore mea Adela nomine, illustris Anglorum regis et Normannorum ducis nobilissimi Willelmi filia,** universos ecclesiæ sanctæ fideles tam futuros quam præsentes scire volumus, qualiter fecerimus elemosinam quandam beato Martino Majoris Monasterii et monachis ejus, ubi comes Odo, avus meus et frater ejus Hugo, Biturigensis archiepiscopus, et eorum mater humati jacent, et quod post eversionem a Danis factam extructum, et amotis canonicis, facultatibus suis auctum, monastico ordini, qui ab initio antiquibus a tempore beati Martini ibi fuerat restituerunt, abbatemque Guillebertum nomine, posuerunt, a Sancto Maiolo sibi de Cluniaco datum; quorum sequens vestigia, quia pater meus, tum pro reverentia et amore gloriosi confessoris Christi Martini, tum pro religione inhabitantium monachorum, eandem abbatiam de substantia sua honoravit admodum et augmentavit, et pater suus, apud eam sepultus erat, in tantum caram habuit ut cum totam Turonicam, cum civitate ipsa traderet Andegavorum comiti Gaufredo Martello, qui eum ceperat in redemptionem sui, ipsam tamen, id est abbatiam Majoris Monasterii nominatim exciperet atque sibi in proprio dominio retineret. Quam et ego hactenus si non ut debui assidue, tutatus sum, atque juvi, non multum tamen graviter offendere curavi, nec valde molestus fui. Mortuo denique patre meo, timens ego eum minus honorando vel minus ei parendo, me ipsum quoad vixerat offendisse, cum sepius inde conquererer et cum prefata conjuge et amicis ac familiaribus meis, plerumque inde loquerer, tandem post annos circiter sex accersivi duos quosdam monachorum jamdicti monasterii familiares meos Bernardum scilicet cognomento Flagellum, et Gausbertum Ludovici, qui mihi solebant frequenter suadere, ut Majori Monasterio facerem aliquid elemosinæ pro anima patris mei, sicut fecerant antecessores mei. **Tempore autem illo eram apud castrum quod Columbarium vocatur, una cum præfata conjuge mea, volensque ire in Jerusalem, cum exercitu Christianorum, contra paganos jussu papæ Romani, Urbani scilicet secundi, euntium; parabam quæ necessaria erant itineri meo. Venerunt itaque monachi ad me, sicut mandaveram, per quos dedi Deo et patrono meo beato Martino monachisque Majoris Monasterii, pro anima Tetbaldi, patris mei precipue, et deinde pro animabus mea et Adelæ, uxoris meæ, non solum assensu ejus et ammonitione, sed etiam prece, pro animabus quoque parentum et antecessorum filiorumque, sed et successorum nostrorum, et ut Deus interventu beati Martini et monachorum ejus indulgeret mihi, quicquid in se deliqueram et in patrem meum**

**sanumque me et incolumen duceret et reduceret per iter memoratum, atque Adelam**  
**sepedictam conjugem meam liberosque nostros custodiret, quandam partem cujusdam**  
**alodii nostri, id est bosci, qui Silva Lonna dicitur, ab omni prorsus consuetudine**  
**solutissimam atque liberrimam; precepi quoque ipsi conjugi meæ, quæ remanebat, ut**  
**ipsam partem faceret determinari, ac metiri per manum cujusdam prepositi nostri,**  
**Willelmi scilicet de Villariis; cui ego ipse jam illud idem præceperam, limitesque poni,**  
**undique faceret et sic eam monachis traderet; ne quis videlicet inde quicquam ipsis ullo modo**  
**minuere vel demere unquam posset; augere eam liceat cuicunque successorum nostrorum**  
**Deus hoc inspiraverit. Infra terminos igitur illos ac limites nullus unquam aliquid violentiæ**  
**cuilibet inferre audeat, vel manum mittere in ullam rem, gracia nocendi vel extorquendi,**  
**quipiam vel etiam surripiendi presumat; sed omnium rerum quæ inibi, quocumque modo**  
**fuerint, consuetudines, redditiones, forisfacturæ, justiciæ, vicariæ, districturæ, exactiones,**  
**emendationes, leges, sint in æternum beati Martini Majoris Monasterii et monachum ejus.**  
**Atque ut omnia breviter concludantur, sic liberum et solidum habeat deinceps ipsum locum,**  
**sicut antecessores nostri et nos temporibus retroactis habueramus eum. Insuper etiam nichil**  
**ibidem nobis, nichil forestario et secretario ulli, nichil ulli officialium nostrorum sive**  
**ministrorum, nichil denique ulli cuicunque mortaliam reservamus aut habendum**  
**permittimus, elemosinam quippe nostram volumus esse liberrimam. Hoc enim solummodo**  
**habet homo ex universis facultatibus et possessionibus suis, quod inde Christo per manus**  
**pauperum suorum tribuerit ipso enim dicente: *Centuplum illud recipiet et vitam æternam***  
***possidebit.* Est autem locus ipse inter castrum, quod vocatur Fracta Vallis et Frigidum**  
**Mantellum, juxta fluvium, qui Leda nuncupatur. Rogavimus deinde sepedictos monachos ut**  
**locum ipsum faciant ædificari, quanquam non videatur admodum competens atque uber sive**  
**utilis; quod ut libentius faciant, damus eis et concedimus, tam ad opus fratrum suorum, quos**  
**ibidem voluerint habitare, quam ad opus omnium hospitum suorum, infra præfatos terminos**  
**habitaturorum, de alia foreste, quam nobis retinemus, quantumcumque semper inde voluerint**  
**et ad ardendum, et ad ædificandum, et ad omnes cæteros usus suos, excepto quod nichil inde**  
**vendant. Si qui vero eorundem hospitum fuerint carpentarii, dent forestagium tantummodo**  
**forestariis nostris et inde operentur atque vendant quantum opus eis fuerit, qui omnes hospites**  
**per totam terram nostram sint ab omni consuetudine liberrimi. Si quis autem illorum nobis**  
**aut ministris nostris unquam aliquid forisfecerit, alicubi nullus audeat in eum mittere manum,**  
**sed faciant inde clamorem monachis. Qui si fecerint eis, inde justiam benigne suscipiant**  
**eam; sin autem differatur causa, donec in presentia nostra examinetur, sicut nobis competens**  
**videbitur agendum. De elemosina nostra habeant, etiam gratis tam monachi inibi habitantes,**  
**quam omnes ejusdem terræ hospites, universis pecoribus et bestiis suis per totam forestem**  
**quam nobis retinemus pascuas, ubicunque eis placuerit, sine redibitione ullius consuetudinis**  
**et absque ullius hominis contradictione, vel alicujus rei exactione. Tempore quoque pastionis,**  
**mittant ipsi monachi porcos suos in forestem illam nostram, et nullum pasnagium inde**  
**reddant, sed insuper pasnagium de omnibus porcis suorum hospitum ipsimet habeant. De**  
**extraneorum vero porcis, qui in terra sua illa jacuerint et in pastionem nostram cucurrerint,**  
**nos et ministri nostri habebimus pasnagium. Porci vero silvestres et cervi et quæcunque feræ**  
**hujusmodi, quæ infra memoratos captæ fuerint terminos, monachorum sint. Omnia hæc illis**  
**et Deo ego Stephanus comes et uxor mea Adela comitissa damus, ut et in hac vita et post**

mortem, precibus eorum adjuvari, apud Deum mereamur, et tanto copiosior merces sit inde nobis quanto locus ille melius fuerit ædificatus.

**Post discessum itaque viri mei Stephani comitis in Jerusalem, ut dictum est euntis, Ego Adela comitissa, precepti ejus non oblita, sepedictam partem bosci memorati id est Silvæ Llonniæ feci determinari, prout ipse mihi imperaverat, et metiri per manum Willelmi de Villariis, cui ipsemet idem preceperat, fecique limites undique poni atque tradidi eam prefatis monachis Majoris Monasterii, sicut dictum est superius, omnino solutissimam atque liberrimam a consuetudine prorsus omni. Unde et presentem cartam sive preceptum tuitionis gratia immunitatisque impressione sigilli mei, ex auctoritate viri mei atque mea sigillatum, et assensu liberorum nostrorum, in presentium testium circumstantium, quorum nomina subscribuntur, dominicæ crucis impressione propriis manibus facta, **roboratum et auctorisatum**, ipsis, id est monachis Majoris Monasterii tradidi.**

**Nr. 7, Kreuzzugsbriefe, pp.142-43**

In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, amen.

Ego **Clementia, per manum Dei Flandrensum comitissa**, omnibus in Christo fidelibus salutem et perpetuam pacem. Tempore, quo indignatio Christianorum exarsit contra perfidiam Persarum, qui fastu superbiae suae Hierosolymorum inuasuerant ecclesiam et circumcirca longe lateque Christianam demoliti sunt religionem, inflammauit gratia Spiritus sancti cor domini et sponsi mei Roberti Flandrensum comitis, ut copiosa manu armata ad reprimendam Persarum perfidiam expeditionem adriperet. cum uero agens iter fines Apuliae intraret, accurrit ei dux Apuliae, qui sororem eius, quondam Danorum reginam, sibi duxerat uxorem, postulans, ut ab eo aurum, argentum, ornamenta pretiosa acciperet. ipse uero utpote diues et harum rerum non egens, hoc solum ab eo exegit, ut ei quam pretiosissimas conferret reliquias, quas mihi transmittere disposuerat contulit itaque ei de capillis beatissimae Dei genetricis et semper uirginis Mariae, quos apud se digno uenerabatur honore. praeterea de corporibus sanctorum Matthei apostoli et euangelistae et pretiosissimi confessoris Christi, Nicolai, quorum corpora non dubium est in Apulia contineri. hasdemque mihi pretiosissimas reliquias per fideles nuntios delegauit, praecipiens et obtestans, ut eas in ecclesia Watinensi reconderem digno honore et eandem ecclesiam in honore et nomine eiusdem beatissimae uirginis facere consecrare. sed quia eodem tempore Terruanensis ecclesia pastorali cura erat desolata, dominum Manassem, Remensem archiepiscoporum, per nuntios conueni, ut ad consecrationem eiusdem ecclesiae dominum Lambertum, Atrebatensem episcopum, uirum religiosum, dirigeret, quod ipse implere non distulit, sed ei uices suas benigne commisit. ego uero omnia secundum praeceptum domini mei adimplere curauit et eandem ecclesiam cum magna gloria VIII Id. Octobris in honore beatissimae Mariae uirginis consecrari feci. contuli etiam eidem ecclesiae sub nomine dotis in uilla, quae dicitur Santinis, totem terram, quae uulgo dicitur Vluodes hernesse, cum arenariis salinarum usque ad ipsum mare pertingentium cum omnibus, quae ad easdem terras pertinere possint, ita libere sicut ab initio comites Flandriae eas possederunt. hanc itaque nostram largitionem in optimatum terrae nostraræ praesentia factam dominus **Lambertus Atrebatenensis episcopus, in praesentia sanctorum**

**confessorum Audomari, Maximi, Folquini, quorum corpora ibidem conlata fuerant, me postulante, confirmauit et in uiolatores non solum huius nostrae dationis uerum etiam omnium beneficiorum eiusdem ecclesiae gladium anathematis in perpetuum exseruit.**

Factum est hoc anno incarnationis dominicae MXCVII, indicatione V. praesentibus idoneis testibus: signum domini Lamberti episcopi; archidiaconorum eius Iohannis et Clarbaldi; S. Odonis praepositi; Iohannis, abbatis de monte S. Eligii, cum pluribus aliis expresse nominatis.

**'Simonis Gesta Abbatum S. Bertini Sithiensum', MGH SS 13 (Hanover, 1881), pp.600-73, p.647.**

Pater Lambertus, duobus abbatibus secum comitantibus, fretus quoque litteris suae et meliori parti suffragantibus, Clementiae scilicet Flandrarum comitissae, Morini cum suo electo nuda voce armati ad Hugonem Dyensem, qui tunc clari nominis in aecclesia habebatur, pervenere. Cuius consilio ille electus Obertus reversus est. Pars vero utraque Romam pervenit. Abbates itaque causam suam in curia explicantes, citius sunt audit et exauditi, quia litteris prefatae comitissae roborati – nam coniunx eius **iunior Robertus tunc Ierosolimis morabatur** – et predicti Hugonis auctoritate animati domique Anselmi archipresulis Cantuariensis, viri per cuncta laudabilis, quem Anglia expulsum a Willelmo Rufo ibique exulanter offendiderat, auxilio confortati, citius impetravere ad quod venerant. Nec mora, pars adversa caput flexit nostrisque consensit. Quibus in id ipsum consentientibus, cum apostolicis munimentis Taruennam reduentes, electionem omnium assensu confirmavere electumque suum dominum Iohannem cum qua decebat honorificentia suo tempore consecratum, cum maximo populorum plausu aecclesiae Morinensi importavere anno Domini millesimo nonagesimo nono.

**Nr. 12, RHGF vol. 15, p.183**

*LAMBERTUS, Dei miseratione Atrebatus episcopus, honorabili dominæ suæ Clementiæ Flandrenium Comitissæ salutem et obsequium cum orationibus. NOBILITATI vestræ notum fieri volumus quosdam peregrinos parochianos nostros, Româ venientes, omnes extraneas terras quietè transisse: tandem in vestra terra pervenientes à praeposito vestro G. apud Batpalmas deprædati sunt. Nos vèro ministerium quod ad nos pertinet facere volentes, mandavimus ei ut liberè vel per fidejussorem, quod injustè in pace abstulerat, redderet. Illum hoc facere renuentem in cœna Domini excommunicavimus. Nunc autem misericordiam vestram exoramus, ut secundùm pacem istiusmodi hominem tractetis, et peregrinis sua reddi faciatis. Quod si redditum non fuerit, nos statuta pacis mutare non valentes, totum castrum in quo hoc facinus et alia multa facinora acta sunt, in bannum mittemus. Vale.*

**Nr. 18, RHGF vol. 15, p.185**

*LAMBERTUS, Dei miseratione Atrebatenensis episcopus, honorabili dominæ suæ Clementiæ Flandrenium Comitissæ salutem et fidele servitium cum orationibus. DOMNUS Manasses Remensis archiepiscopus nuper mihi misit literas pro Morinensi ecclesia, quibus injunxit ut vos arrationarem per nos et per literas nostras de Roberto et de munitione ejus, per quam non desistit prædictam ecclesiam et bona clericorum diripere et devastare; et quod inde responderetis, rescire eum facerem in proxima Dominica quando cantabitur *Populus Sion*. Rogamus ergo excellentiam vestram et honestati vestræ consulimus, quatenus sic justè et honestè archiepiscopo respondeatis, ne in vobis aut culpam aut injustitiam pro Roberto contra Morinensem ecclesiam, matrem vestram, aliquo modo inveniat. Bene valete in Domino semper. Amen.*

**Nr. 24, RHGF vol. 15, p.187**

*CLEMENTIA, nutu Dei, Flandriæ Comitissa, Lamberto Atrebatenium episcopo, suo carissimo, optata quæque in Domino. QUONIAM causa quæ inter me et Tarvanensis ecclesiæ clericos tractatur, tibi nota est, superfluum duxi iterum tibi referre. Verumtamen, quia in te non minimùm confido, mando, et ut amicum moneo, quatenus archiepiscopo nuncium aut literas cum meis mittas, moneas et suadeas, ut de his qui mihi injuriam faciunt plenam justitiam faciat, et consilium mihi et honori meo condignum super his dare non differat, ne, ejus justitiâ deficiente, opus sit mihi ad vindicandum manum extendere. Vale.*

**'Ex Miraculis S. Donatiani Brugensibus', MGH SS 15 part 2 (Hanover, 1888), pp.854-58, p.858.**

Tempore igitur, quo innumerabilis christianorum exercitus ad expellendos filios, incredulitatis a loco in quo tota promissio adimpta est nostræ redemptionis Iherosolimam sunt profecti, marchio quoque Robbertus, vir forma elegantissimus, in multis milibus militem miles precellentissimus, soli augusto cesari in castris equitatus regendis equiperandus, cum melioribus natu et militia Flandriae totiusque sui comitatus primatibus Christo militaturus iter arripuit. **Cuius regimine ac tutela viduata**, antiquus hostis indesinenter a prima origine mundi filiis pacis invidens, cum se in hiis qui aberant nullis temptationibus, nullis fraudulentis calliditatibus ad libitum proficere nec in eis aptam sibi sedem invenire posse condoleret, tantas discordias, lites, fraudes et odia inter eos qui remanserant, maxime Brugenses fines inhabitantes, disseminavit, ut, **magna discordia ex minimo oborta, frater in fratrem filiusque in patrem manus extendere nullatenus reformidaret**. Ex unius etiam iniquitatis formite bella intestina, proh dolor! sunt incepta, quae sine multa effusione sanguinis sedari nequaquam poterant. Hiis ergo et hiis similibus inimicitiiis civilibus undique accrescentibus, **iussu prepositi aecclesiae** ac consilio fratrum corpus prescripti sanctissimi patris nostri extra basilicam in honore ipsius fundatam, in qua frequentissimis benignus choruscat virtutibus, **cum magna devotione et supplicatione populi in plateam templo convicaneam die quadam delatam est**. Ibique utriusque sexus magna multitudine congregata, sacerdote ad populum sermonem perorante, inimicitias a corruptore spirituum ante modico tempore excitatas, quae nunquam auro vel argento in amicitiam redigi poterant, Spiritu sancto animos omnium sedante, **per beatum Donatianum Deus pacere dignatus est, ita ut,**

**diruptis omnibus discordiae vinculis et obtusis odii stimulis, cuncti unanimes inirent federa pacis.**

**Nr. 70, PL 162, cols.89-90, here col.90**

Quod ideo suggero dilectioni vestræ, quia tam ex verbis Turonensium monachorum, quam **ex litteris dominæ Adeleidis** [al. dominæ Adelæ] venerabilis comitissæ audivi turpissimam famam de monasterio Sanctæ Faræ, quod **jam non locus sanctimonialium**, sed mulierum dæmonialium prostibulum dicendum est, corpora sua ad turpes usus omni generi hominum prostituentum.

**Nr. 10, Kreuzzugsbriefe, pp.149-53, here p.149**

**scias pro certo, mi dilecta, quod aurum et argentum aliasque diuitias multas duplo nunc habeo quam tunc, quando a te discessi, mihi dilectio tua attribuisset.**

**Nr. 10, Kreuzzugsbriefe, pp.149-53, here p.152**

Pauca certe sunt, carissima, quae tibi de multis scribo, et quia tibi exprimere non ualeo quae sunt animo meo, carissima, **mando, ut bene agas et terrae tuae egregie disponas et natos tuos et homines tuos honeste, ut decet te, tractes**, quia quam citius potero me certe uidebis. uale.

**Nr. 161, Cartulaire de Marmoutier, pp.146-47**

Notum sit omnibus quod Hugo vicecomes Dunensis calumniabatur nobis monachis Majoris Monasterii alodium nostrum de Castinniaco, quod Gaufredus Freslavena Deo et beato Martino atque nobis dederat. Quod et saisivit et terraticum inde cepit unius anni. Unde **cum comitissa Adila, uxor Stephani comitis, tunc in exercitu Christianorum contra paganos in Jerusalem eunte demorantis, monuit et coegit ut in curia sua inde adversum nos placitaret**, quod et ipse fecit ubi id est **in curia comitissæ tunc apud Castrum Dunum positæ, judicatum est quod ante placitum debebat nobis reddere, cum lega sua, quicquid inde ceperat**: ideo quia non fecerat, inde clamorem comitissæ, in cuius custodia obedientia Sancti Hilarii erat. **Deinde rogavit eam idem vicecomes, ut judicium ficeret inter nos et se de querela ipsa**. Audita igitur causa tam nostra quam ipsius, judicatum est absolute ut quia XL. annis quiete et sine ulla calumnia ipsum alodium tenueramus, tempore Stephani comitis et patris ejus Tetbaldi comitis, et XX. annis tempore ipsius Hugonis, et XX. annis tempore Rotrochi patris ejus, sicut placitatores nostri parati errant probare, cum tamen terra ipsius et alodium illud juxta se esset, nullo modo inde ulterius deberemus, propter eum placitare.

Nr. 76, PL 162, cols. 97-98, here col.98

**De cætero Adeliciam Puteacensem dominam et Hugonem filium ejus cum cæteris adjutoribus suis propter tyrannidem quam in nos exercent, ex auctoritate apostolica a nobis excommunicatos precando insistimus,** et insistendo precamur, ut vos quoque excommunicetis, aut male invasa nobis restitui faciatis. **Sic enim antiquitus est institutum, et nuper in Avernensi [in solo v. c. Put. Nivernensi] concilio omnium episcoporum qui aderant, consensu confirmatum,** ut ab uno episcopo quemlibet pro injuriis ecclesiasticis excommunicatum, vicini quoque episcopi excommunicent.

Nr. 111, PL 162, cols.129-30, here col.129

Colloquium vestrum jam a multo tempore desiderans, speravi me posse paternitati vestræ loqui in conventu ad quem invitati eramus in civitate Vellavorum [*al. Vellanorum*], et ore ad os clamorem facere **de injuriis quas mihi et Ecclesiæ mihi commissæ infert Hugo Puteacensis**, more suorum semper rependens mala pro bonis; quem nec pudor humanus, nec fides quam mihi debet ut domino, detinet a rapinis, dum nulla nostra in eum præcesserit injuria, vel nulla ei a nobis sit denegata justitia.

Nr. 34, Actes des comtes de Flandres, pp.99-101

Robertus, Dei gratia Flandrensum comes, domno Hugoni Sancte Cluniacensis ecclesie reverendo abbatii, salutem et dilectionem. Quoniam, ut ait apostolus, non habemus hic manentem civitatem, diesque nostri tanquam umbra pretereuntes cotidie evanescunt et ex voce veritatis luce clarius tandem constat, omnem arborem, que non facit fructum bonum excidi, et in ignem eternum mitti; oportet maxime nos, qui ceteris hominibus prelati videmur, ut dum in hoc corpore sumus, aliquid ex his, que ad omnipotentis Dei servicium pertinent, eo adjuvante operemur, quatenus in futuro eterne retributionis utcumque participes existere mereamur. Quapropter beatitudini vestre esse volumus, quod nobis, **post dominica bella Jherusalem digressis, uxor mea nomine Clementia quam terre mee et omnibus quecumque juris mei erant, vice mea dum dicederam prefeceram**, inter cetera diligenter intimavit, sese per abbatem Sancti Bertini a bonitate vestra inpetrasse cum litteris, tum viva voce, ut de ordinando ejusdem Sancti monasterio, de religione ibidem per sanctitatis vestre filios constituta vos intromittere deberetis. Nos autem super hoc immensas vobis gratias referentes et sacre religioni plurimum cum gaudentes, communicato tandem consilio cum venerabilibus episcopis Lamberto Atrebatensi, Johanne Tarvanensi ceterisque fidelibus meis ob remedium anime mee, ob salutem conjugis ac liberorum seu antecessorum meorum, quatenus in futuro exanime, in illa tremenda die districtum judicem propitium nobis inveniamus; predicti Sancti Bertini monasterium vobis vestrisque successoribus omnino libere ordinandum, perpetuo jure concedimus et confirmamus, sub presentis pagine attestatione, salvo utique Moriensis episcopi jure, ea tamen conditione prefixa: ut abbatia nunquam in prioratum redigatur, sed abbe obeunte quem ad hoc onus sub eundum missuri estis, vel si, rationabilis causa extiterit, deposito, alter de vestra Clunicensi ecclesia, et a vobis omni tempore substituatur, propter stabilitatem videlicet ordinis et perseverentiam religionis.

Porro, ut hec nostra concessio immo supplicatio imperpetuum rata atque illibata permaneat, carte hujus exemplar penes nos retinere decrevimus, vestre igitur incumbit sollicitudini, sine dilatione tales tamque idoneas ad rem tam necessariam personas, ac tantorum saluti profuturas dirigere, per quas ecclesia religione crescat et exaltetur, atque nomine divini ab omnibus glorificetur.

Testes vero hujus rei et confirmationis hic annotari placuit. Signum Rodberti comitis, signum Clemencie comitis, signum Johannis Morinensis episcopi, signum Lamberti Attribatensis episcopi, S. Johannis abbatis de Monte Sancti Eligii, S. Clarembaldi archidiaconi, S. Hugonis abbatis Sancti Dyonisii Remensis, S. Galteri tesaurarii, S. Roberti Bituniensis et avocati ipsius ecclesie, S. Baldrici de Culhem, S. Sigeri de Mutelle.

Datum Atrebati, anno Domini Christi millescimo C<sup>o</sup>VI<sup>o</sup>, idus febroarii; in nomine Domini feliciter, amen.

**‘Simonis Gesta Abbatum S. Bertini Sithiensium’, MGH SS 13 (Hanover, 1881), p.648**

Cum igitur aliquantulum temporis inter monachos et abbatem pertransisset in huiusmodi dissensione, abbas comitem Robertum iuniorem **per comitissam Clementiam** et per nonnullos regni procures convenit, ut aecclesiae Sancti Bertini de religione consuleret et, ne qualibet in posterum incuria in monachis eadem religio deficeret, idem coenobium Cluniacensibus ad substitendum abbatem subiceret. Quod dum monachis veraciter compertum est, per prepositum et canonicos Sancti Audomari aecclesiaeque Taruannensis convenient, utrum verum esset quod audierunt de subiectione suorum suaequae aecclesiae. Quod prius denegans, postremum verum asseruit; sed se id destructurum sacramentis promisit.

**Nr. 59, PL 159, cols.92-93**

ANSELMUS, quamvis indignus, dictus archiepiscopus Cantuariæ, dominæ et filliæ charissimæ, CLEMENTIÆ reverendæ comitissæ, per diuturnam hujus vitæ prosperitatem, æternam futuræ mereri felicitatem.

Relatum mihi est quosdam abbates in Flandria sic constitutos ut comes vir vester nullam eis manu sua daret investituram. Quod **sicut non sine ejus prudenti clementia ita non esse æstimo factum absque vestra clementi prudentia**. Tanto ergo de hoc vestro bono opere gaudeo, quanto vos ambos verius in Deo diligo. Cum enim ea quae religionis Christianæ sunt, concordi voluntate facitis, veros vos esse filios Ecclesiæ sponsæ Dei et fideles advocantes ostenditis. Non enim debent principes sponsam Dei, matram suam, si Christiani sunt, æstimare sibi datam in hæreditariam dominationem, sed a Deo sibi commendatam, ut ejus cohæredes mereantur esse ad reverentiam et defensionem. Rex enim erat, et quid ad principes pertineat intelligat, qui principes volentes hæreditatem sanctuarium Dei possidere, sic maledicebat: *Deus meus, pone illos ut rotam; et sicut stipulam ante faciem venti (Psal. LXXXII, 14)*; et quæ proxime sequuntur. Non hæc loquitur David, sed Spiritus Dei Filii David, qui dixit: *Cælum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt (Matth. XXIV,*

35). Ad vos pertinet, reverenda domina et filia charissima, ut haec et hujusmodi viro vestro frequenter opportune, importune suggeratis; et ut non dominum, sed abvocatum; non privignum, sed fillium se probet esse Ecclesiæ, consulatis. Certe sic erit potestas placens Deo, et omnes actus ejus dirigentur ab eo, et contra omnes ejus adversarios erit cum eo. Monete eum ut numquam aduersetu legi Dei, quia qui illi subditi sunt, Scriptura, quæ non mentitur, asserit illos indubitanter inimicos esse Dei. Ne credat consilium contra consilium Dei, quia *Dominus reprobat consilia principum, consilium autem Domini manet in æternum (Psal, XXXII, 10)*; et, *sapientia hujus sæculi, stultitia est apud Deum (I Cor. III, 19)*. Consilium autem Domini est sacra Scriptura, et eorum quibus dixit: *Qui vos audit, me audit (Luc. X, 16)*; et ad Christianam religionem instituta. Hæc moneat, hæc consulat, rogo, viro suo comitissa Clementia, ut e illum et illam ad regnum cœlorum sublevet divina clementia. Sic fiat. Amen.

#### Nr. 86, PL162, col.107

Clericos minis territos et contumeliis affectos, ad vos mittere non valeo. Mitto itaque chartam non timentem, neque erubescensem, justitiam exigentem et justitiam promittentem. **Moneo itaque excellentiam vestram nunc tertio, ut homines vestros qui in pacem offenderunt, ad justitiam pacis, quam ipse dictastis et promisistis, venire faciatis, et cum hoc correctum fuerit**, si quid in vos delinquimus, emendare parati sumus. Neque enim aliud aliquid aliquando de hoc negotio vobis mandavi, quidquid dixerint vobis legati vestri. Quidquid autem vel plus, vel minus hactenus in auribus vestris dictum sit, vel aliter, nunc expostulo justitiam et offero justitiam, secundum rationem rerum gestarum et ordinem admonitionum, prout concorditer illi judicabunt, qui justa judicia se facturos de pace juraverunt. Et hoc futura die Martis. **Quod si refutaveritis, scimus quia potentia vestra et principatus vester pace ecclesiastica non eget**. Nos vero erimus contenti terminis nostris; et pacem istam, quæ Ecclesiæ valde est onerosa et sumptuosa [*quidam* infructuosa], quam contra vos tenere non possemus, dimittemus; in aliis autem sicut magno et potenti viro serviemus [*al.* servientes]. Valete.

#### Nr. 24, Cartulaire de Notre-Dame de Chartres, vol. 1, pp.104-8, here pp. 104-6 (witness list omitted)

In nomine sancte et individue Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen. **Ego Henricus, comes, cognomine Stephanus, necnon et Adela uxor mea, cum filiis nostris, notum fieri volumus omnibus sancte Dei ecclesie fidelibus, tam laicis quam clericis, presentibus et futuris**, quia Ivo, humilis Dei servus, venerabilis Carnotensis ecclesie episcopus, presentiam nostram adiit, et a nobis obnixe postulavit quatinus domum pontificalem, domum scilicet quam ex lignea lapideam, ex vili reddidit speciosam, ab illa prava consuetudine, quam predecessores nostri et nos habuimus in ea huc usque, liberam esse concederemus, ne scilicet, episcopis ab hac vita migrantibus, vel aliqua occasione decedentibus, prefata domus dissiparetur, ne quid ferri, vel plumbi, vel vitri, vel ligni, vel lapidis absportaretur, vel obrueretur, ne qualibet sua supellectili spoliaretur; annonam quoque, vinum, fenum, oves et boves, et cetera animalia, omniaque mobilia, que, sive in urbe, sive extra urbem, congregata vel collecta fuerint ante obitum vel discessum episcoporum, a nobis

et a nostris intacta dimitterentur, illis profutura quibus episcopus reservare, vel donare, seu per se, seu per euchonomum suum, decreverit, vel majores ecclesie persone, si id episcopo, aliqua occasione prevento, facere non licuerit. Addidit etiam petitioni sue ut exactio, quam vulgo *talliam* vocant que, defunctis episcopis vel decedentibus, fieri solet in servientes episcopi, vel rusticos, simili ratione condonaretur. Nos igitur **tanti viri petitionem dignam frustrari indignum esse judicantes, et ecclesiasticas res augmentari potius quam deteri debere cogitantes**, ob remedium anime patris mei et mee, et uxoris mee, filiorumque meorum, rem pretaxatam **a prava consuetudine liberam reddimus**; domum scilicet, et domus ejusdem ferrum, plumbum, vitrum, lignum, lapides, ceteramque supellectilem, scilicet tabulas, scanna, scabella, vasa vinaria, lectos, necnon coquinas et horrea, granaria, cellaria, torcularia, furnos, furnorumque domos, sive in urbe, sive extra urbem, silvas et non vendantur nec succidantur, nec dentur, annonam quoque, vinum, fenum, oves et boves, et cetera animalia, omniaque reliqua mobilia, que congregata vel collecta fuerint, sive in urbe, sive extra urbem, ante obitum vel discessum episcopi cuiuslibet, intacta a nobis et nostris dimittimus, et nos et filii nostri, illis profutura quibus episcopus reservare, vel donare, seu per se, seu per euchonomum suum, decreverit, vel majores ecclesie persone, si id episcopo aliqua occasione prevento facere non licuerit. Concedimus etiam ut pretaxata exactio que defunctis episcopis vel decedentibus fieri solet in servientes episcopi, vel rusticos, de cetero nunquam fiat. Et quia tam benigne ista concessimus, concederunt mihi et Adele uxori mee episcopus et congregatio tota canonicorum Beate Marie ut per singulos annos anniversaria nostra celebrarentur temporibus suis in ecclesia Beate Marie. Si quis ergo pretaxatam pactionem annullare vel debilitare conabitur, concedimus, quantum in nobis est, ut, tam in urbe, quam in suburbanis, divinum officium interdicatur, et tanti sacrilegii patratores admoniti, si non respicuerint, usque ad satisfactionem, anathematis gladio severissime puniantur. [Si quis autem futurorum episcoporum in domo supradicta turrim vel propugnacula edificaverint, turris et propugnacula tantum destruentur, domus autem cum appenditiis suis inconcussa manebit]. Ut autem pactum hoc firmum et inconcussum per succendentia tempora permaneat, placuit scripto mandari et optimatum, tam clericorum quam laicorum, astipulatione roborari et sigillorum nostrorum testimonio communiri.

Sigillum Stephani comitis. Signum Adele comitisse. Signum Guillelmi. Signum Stephani. Signum Odonis. Signum Teobaldi.

#### OV, vol. 5, p.324

**‘Absit a te domine mi ut tantorum diu digneris hominum opprobria perpeti. Famosam strenuitatem iuuentutis tuae recole, et arma laudabilis militae ad multorum salutem milium arripe, ut inde Christicolis ingens in toto orbe oriatur exultatio, ethnicisque formido suæque scelerosæ legis publica deiectio.’**

**Hæc et multa his similia mulier sagax et animosa uiro suo protulit sed ille periculorum et difficultatum gnarus labores duros iterum subire formidauit. Tandem animos et uires resumpsit et iter cum multis milibus Francorum arripuit, et usque ad sepulchrum Christi quamuis pessima illi obstitissent impedimenta perrexit.**

**RR, p.728**

**O fortissimi milites et invictorum propago parentum, nolite degenerari, sed virtutis priorum vestorum reminiscimini.**

**Nr. 67, Cartulaire de Marmoutier, p.60-61**

Igitur sequentes salutiferum instituta presenti scripto posteris nostris intimamus, qualiter illustrissima comitissa Adila, Guillelmi senioris Anglorum regis filia, conjunx autem Stephani incliti comitis palatini, et Majoris Monasterii amatrix ferventissima adquietaverit nobis de canonicis Sancti Carileffi Blesensis decimatione parrochiæ Francæ Villæ, quam una cum viro suo nobis monachis Majoris Monasterii donaverat. Cum ergo nobilissimus comes Stephanus, vir ejus,isset secunda vice in Jerusalem, anno videlicet ab incarnatione Domini M C I, venit eadem illustrissima comitissa, domina et soror nostra Blesim, et inter memoratos canonicos atque nos hujusmodi concordiam de prefata decimatione fecit.

**Nr. 91, PL 162, col.112**

Gratias agimus Deo, qui procellam vestræ infirmitatis couertit in serenitatem recuperandæ sospitatis quia [al. quoniam], sicut contrastavit nos nubilum ingruentis infirmitatis sic lætificavit serenum redeuntis sospitatis. Interpellamus itaque divinam clementiam, ut præsentia flagella carnis medicinam esse faciat interioris hominis, quatenus et commissa præterita fletu diluatis, et flenda de cætero caveatis committere, ne divina manus, quæ modo misericorditer flagellat, postea miserabiliter conterat. Rogo autem pro remedio animæ vestræ ut ecclesiam beati Joannis Baptiste, in qua regularem vitam Deo donante ordinavimus, diligatis, et res ad ipsam ecclesiam pertinentes **contra insidiantes et incurantes** pro posse vestro defendatis, et præcipue reculas<sup>2</sup> cuiusdam Haimericæ quondam servi sanctæ Mariæ Jotrensis monasterii in eadem ecclesia conversi, **quiete ab incursu vestrorum possidere faciatis**. Abbatissa enim prædicti monasterii servum illum cum rebus suis eidem ecclesiæ manumisit (juxta canones sub distinct. 54), sicut dicet vobis domna Hilescendis [al. Hilesendis m.s.c. vel Hilensis] vicedomina. **Pro hoc enim a fratribus prædictæ ecclesiæ habebitis munus orationum, et a nobis fidele servitium.** Valete.

**Nr. 101, PL 162, col.120**

Audivi quod a Radulfo [quidem Gradulfo] archipresbytero nostro bannum leugæ requiritis propter quamdam pseudomonacham, cuius reculas saisivit, quas apud quemdam Burgensem Blesensem invenit. Unde rogamus et monemus excellentiam vestrarum ut hanc nobis non inferatis [*unus cod.* non faciatis] injuriam. Omnes **enim psuedoprædicatores, et pseudomonachi, et pseudoclerici fornicatores, adulteri, foeneratores et alii qui in Christianismo offendunt (exceptis his qui pœna capitali puniendi sunt), a nostri**

---

<sup>2</sup> Regulas is a misprint for reculas, K. LoPrete, ‘Adela of Blois and Ivo of Chartres: Piety, Politics, and the Peace in the Diocese of Chartres’, *Anglo-Norman Studies, XIV Proceedings of the Battle Conference, 1991*, ed. M. Chibnall (Woodbridge, 1992), n.60 p.145.

**distringendi et corrigendi sunt**, et ipsi et eorum res **nobis sunt juris**. **Et hæc est antiqua et inconcussa consuetudo non tantum Carnotensis Ecclesiæ, sed omnium ecclesiarum per totum regnum Galliarum et hoc astruere parati sumus**, sive in Ecclesia nostra, sive in omni Ecclesia quæ canonicum [*alius, canonice*] super nos possit facere judicium. Cesset ergo a tali incœpto prudentia vestra et sicut inconcussum vultis habere principatum vestrum, sic Ecclesiam permittite habere principatum vestrum jus suum. Nec obsit nobis apud excellentiam vestram, quod vos et vestra diligimus, et inviti adversum vos aliquid etiam ratione movente [*al. monente ita. m.s.c*] attentamus. Sciat autem prudentia vestra quia quod fecerunt ministri vestri in prædictum archipresbyterum, graviter ferimus, sed propter dilectionem vestram dissimulamus. Sed si res in pejus, quod absit! se verterit, adhuc ab eis pro officio nostro districte exigemus. Valete.

**Nr. 121, PL 162, col.134-35**

Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, ADELÆ excellenti comitissæ, patientiæ et pacis abundare visceribus.*

Pro summa charitate qua diligo principatum vestrum, jam semel et secundo monui celsitudinem vestram, ut quod dictante ira suaderent vobis servientes vestri, non statim reciperetis, sed redditum vestrum ad nos, ad audiendam et cognoscendam veritatem rerum gestarum, exspectaretis, quia parati errant et adhuc sunt omnes canonici beatæ Mariæ ad exsequendum per manum nostram et quod ratio dictaverit, et justitia exegerit. Cum itaque ad omnem justitiam exsequendam erga vos et erga vestros promptos se exhiberent, præcepto vestro, sicut dicunt, vestri servientes annonam Ecclesiæ apud Castrum duni, et apud Bonam vallem violenter acceperunt, et vinam domni Hilduini cantoris in vico coriariorum saisierunt, plurima etiam indigna clericis et hominibus eorum intulerunt. Postulant itaque clerici summa instantia ut in civitate et per totum episcopatum divinum officium interdicam, donec sua recipient, quæ injuste et præpropere sibi esse ablata reclamat. **Et quia justitiæ deesse non possum**, postulavi ab eis inducias, quas vix impretravi, donec **ad vos nunc tertio mitterem, et ad corrigendum quod perperam factum est, excellentiam vestram commonefaceram**. Moneo itaque et consulgo, ut clericis sua restitui faciatis, ne tam **præclara Ecclesia in tam sanctis diebus divino privetur officio**, et de vobis a transuentibus, qualem non deceret, publicetur opinio. In recuperabili enim re non est tam præceps danda sententia, nec malevalorum inordintate satienda sævitia. **Monui itaque et iterum moneo saudente charitate** qua præcordialiter vos diligo, ut quod corrigendum est corrigatis, et quidquid duriter facere intenditis, usque ad legitimam discussionem differatis, ne, digesta ira, pœniteat vos fecisse quod faciendum non fuisse ratione docente videbitis. **Quod si admonitionibus et petitionibus meis toties repetitis acquiescere non vultis, et justam satisfactionem respuitis, ne miremini si doleo cum dolentibus, et lugeo cum lugentibus**, qui per omnia paratus eram et gaudiis vestris congaudere, et doloribus condolere. Valete.

**‘Gesta Ambaziensium Dominorum’, Chroniques des comtes d’Anjou et des seigneurs d’Ambroise, ed. L. Halphen and R. Poupardin (Paris, 1913), p.109**

Eo siquidem tempore **Hala prudens comitissa Blesensem comitatum regebat**, Stephano viro suo apud Ramulam Palestinæ urbem capto et a Babiloniis Ascalone sagit[t]ando occiso; cum quo alii plures viri illustrissimi, clari et nobiles perierunt,

**Nr. 143, Cartulaires de l’abbaye de Molesme, ancien diocèse de Langres, 916-1250, vol. 2, ed. J. Laurent (Paris, 1911), vol. 2, pp.139-41**

R. abbatii et omni conventui Sancte Marie Molismensis ecclesie donnus Odo de Vergelo ejusque Herenburgis in Domino salutem. Notum facere volumus omnibus sancte ecclesie fidelibus quoniam ego Odo ecclesiam Sancti Pathusii Domino et Sancte Marie Molismensis ecclesie trado cum altari ejusdem ecclesie et presbiterio, cum redditibus inde procedentibus excepta decima terre et lini et caneve; omnem vero decimam animalium monachis ibi Deo servientibus concedo, illam videlicet que ad ecclesiam pertinet, et meorum decimam animalium et redicimam mee carruce, et duos modios decime, unum tritici, alterum avene, et mearum decimam vinearum que ibi sunt aut erunt, et hospitem unum cum redditu suo, et terram ad opus domuum monachorum ibi habitantium, et ecclesiam ab omni censu et more liberam. Sed sacerdos ejusdem ecclesie ad synodum Meldis ibit. Hec autem ea conditione trado ut hec eadem ecclesia nulli ecclesie, nisi proprie Molismensi ecclesie, debeat subjectionem; et si Deo annuente ejusdem ecclesie quandoque superhabundaverit prosperitas, ad usus fratrum ibi in conventu deservientium remaneat; et si potest fieri ut major substantia habeatur, ordo et conventus fratrum ibi teneatur, sed postquam locus erit perfectus et censum reddere poterit, secundum divisionem fratrum ejusdem loci et dominii ejusdem ville censum convenientem persolvat ecclesie Molismensi. Hoc equidem volo, ut precepto abbatis et omnis conventus hic cartam faciatis, et ita ut, carta abscita, in unaquaque parte ejusdem carte tota ratio contineatur, et ad me deferatur et me vidente abscidetur, et quedam pars in ecclesia vestra remanebit, altera pars cum sigillo Sancte Marie Molismensis ecclesie apud me erit. Hoc donum dedi Deo et Sante Marie Molismensis ecclesie, et per manum prioris Attonis ecclesie mitto. Hujus autem rei testes sunt: ex parte mea, uxor mea Herenburgis et tres filii mei Hugo, Goyfridus, Symon; Odo filius Berengari et Milo frater ejus, Radulfus clericus, Odo de Firmitate presbiter. Ex parte ecclesie, Hugo, Alwinus, Rotbertus, Ingelbertus, Gislebertus, Radulfus. Volo equidem, fratres, et precor ut hoc beneficium sotietatis vestre, quod a domno priore vestro accepi, michi et uxori mee et filiis meis concedatis, et, si finis vite mee vel uxor mee evenerit, fraternalm obsequium inpendatis, et hoc beneficium in cartula denotetis et michi rescribatis. **Facta autem sunt hec ab incarnatione Domini anno millesimo centesimo secundo**, Paschasio apostolatum obtinente, Phylippo rege Frantie regnum protegente, **Stephano comite et Hahela ejus uxore regnantibus**.

Nr. 3, PL 171, col.144-45

De clementia quoque compendiosa principibus capitula Senecæ vigilavit, in quibus ideo brevitatem dilexit non obscuram, ut magnis occupatos legere non tæderet. Ea igitur prote, et ad te suscepit suscipe, atque recordare quæ dudum didicisti ex te, et pro te. Pauca ea sunt: <Clementiæ est aliquid ultrici detrahere sententiæ. Quisquis nihil reatus impunitum relinquit, delinquit. Culpa est totam persequi culpam. Immisericordem profifetur, cui quidquid licet, libet> Item: <Gloriosa virtus est in principe, citra punire quam liceat. Virtus est ad vindictam necessitate trahi, non voluntate venire. Magnum quid est et divinum sapit, offensus clemens.> Item: <Bonus princeps neminem sine poena punit, neminem sine dolore proscriptit. Bonus princeps ita crimen insequitur, ut quem punit, hominem reminiscatur.> Item: <Bonus princeps sibi dominatur, populo servit, nullius sanguinem contemnit; inimici, sed ejus qui amicus fieri potest; nocentis, sed hominis. Cujuscunque sit, quia non potuit dare crimen, putat auferre. Ideo quoties funditur, confunditur.> Sufficiunt hæc animo docili et amanti disciplinam. Ex quibus diligentiores facile percipient quantum vel crudelitas obsit, vel proposita clementia potestati. Vale.

Nr. 289, Bernard of Clairvaux, *Opera*, vol. 8, pp.205-6

Dilectae in Christo filiae Milisendi, reginae Ierosolymorum, Bernardus, Claraevallis vocatus abbas: MISERICORDIAM A DEO SALUTARI SUO.

1. Miror quod a multo iam tempore non vidimus litteras tuas, non solitas salutationes habuimus, quasi nos oblii simus antiquae tuae erga nos devotionis, quam in multis probavimus. **Audivimus, fateor, nescio quae sinistra, quae, etsi non pro certo credidimus, doluimus tamen sive veritate, sive mendacio tuam aliquatenus decolorari opinionem.** Sane intervenit Andreas carissimus avunculus meus, cui in nullo decredere possumus, scripto suo nobis significans meliora, quod scilicet pacifice et mansuete te habeas, sapienter et consilio sapientum te et tua regas, fratres de Templo diligas et familiares habeas, periculis imminentibus terrae, secundum sapientiam tibi a Deo datam, salutaribus consiliis et auxiliis provide et sapienter occurras. Talia prorsus, talia decent opera mulierem fortem, humilem viduam, sublimem reginam. **Neque enim, quia regina es, indignum tibi viduam esse, quod, si voluisses, non esses.** Puto quod et gloria tibi est, praecipue inter christianos, non minus vivere viduam quam reginam. Illud successionis est, hoc virtutis: illud tibi ex genere, istud ex munere Dei; illud feliciter nata es, hoc viriliter nacta. Duplex honor: alter secundum saeculum, alter secundum Deum, uterque a Deo. Nec parvus tibi videatur honor viduitatis, de quo Apostolus: HONORA, inquit, VIDUAS, QUAE VERE VIDUAE SUNT.
2. Habes certe penes teipsam familiare commonitorium apostolicae iterum salutaris sententiae, qua doceris ab eo providere bona, NON TANTUM CORAM DEO, SED ETIAM CORAM HOMINIBUS. Coram Deo, ut vidua; coram hominibus, ut regina. Attende reginam, cuius digna indignave non possunt latere sub modio. Super candelabrum sunt, ut appareant omnibus. Memento **viduam, cui iam non est quod**

**velit placere viro, ut soli possit placere Deo.** Beata es, si Salvatorem ponas tibi murum ad protectionem conscientiae, et antemurale ad repulsionem infamiae. Beata, inquam, si veluti desolatam et viduam totam te Deo regendam commiseris. Alioquin bene non regis, si bene non regeris. REGINA AUSTRI VENIT AUDIRE SAPIENTIAM SALOMONIS, ut regi disceret, et sic regere sciret. ET ECCE PLUS QUAM SALOMON HIC: Iesum loquor et hunc crucifixum. Huic te committe regendam, huic docendam, quomodo regere debeas. Disce, tamquam vidua, quod sit mitis et humilis corde; disce, tamquam regina, quod iudicet IN IUSTITIA PAUPERES ET arguat IN AEQUITATE PRO MANSUETIS TERRAE. Ergo cum cogitas dignitatem, attende et viduitatem, quia, ut pure apud te quod sentio proferam, **non potes esse regina bona, si bona non fueris vidua.** Quaeris unde bona vidua aestimetur? Ex his profecto quae Apostulus dicit: SI FILIOS EDUCAVIT, SI HOSPITIO RECEPIT, SI SANCTORUM PEDES LAVIT, SI TRIBULATIONEM PATIENTIBUS SUBMINISTRAVIT, SI OMNE OPUS BONUM SUBSECUTA EST. Si haec facis, beata es et bene tibi erit. BENEDICAT TIBI DOMINUS EX SION, eximia in Domino filia et omni veneratione digna. Admonitio praemissa est; prosecutio iam a vestra dignatione exspectatur. Occasio data est: excusatio iam non admittitur, si non renovata a nostra parte familiaritas, familiaribus deinceps a vobis verbis et litteris frequentetur.

Nr. 107, Recueil des chartes de l'abbaye de Saint-Benoit-sur-Loire, ed. M. Prou and A. Vidier, vol. 1 (Paris, 1907), pp.267-9, here pp.268-69

Convenit episcopali regimini pia religione pollutibus benivola compassione succerrere ac poscentium animis alacri devotione assensum impertiri. **Igitur ego Humbaldus, Dei gratia Autissiodorensis episcopus, notum esse volumus tam presentibus quam futuris monachos sancti Benedicti sepius apud nos querimoniam deposuisse super injustas consuetudines quas domini Tocciensis castri exigebant in villa eorum vocata Villare, quas scilicet Nariotus primus eidem ville indixerat, qui, ut credimus, divina tactus clementia, Hierosolitanum iter aggressus in medioque itinere morbo correptus, ad extrema deveniens peccata sua Hierosolitanano patriarche confessus est, earundem malarum consuetudinem coram eo penitens, sed audiens ab eo infructuosam esse penitentiam, nisi sequatur correctio, direxit litteras uxori sue et suis relaxandarum videlicet earundem malarum consuetudinum gratia, mandans et rogans ut pro salute anime sue, loco illi remitterentur nec omnino deinceps repeterentur; verum illi, sicut se habet mos quorundam pessimis adjicere pejora, non solum easdem consuetudines relinquere noluerunt verum etiam pejores addiderunt.** Super qua re predicti fratres et precipue Letericus, cui locus ipse commissus fuerat, nostram adierunt presentiam de injustitia sibi et loco suo illata conquerentes rogantesque nos uti per justitiam episcopalem eos cogeremus ipsas injustas exactiones, sicut littere Narioti significant, sancto Benedicto et sibi locoque illi liberas clamare; quorum petitioni libenter assensum dantes, interdicto eis divino officio, ad justitiam demum venire coegimus easdemque malas consuetudines remittere per manum nostram et clericorum nostrorum, astante nobilissimo Nivernensem comite Guillelmo multisque procerum illius. Hec ergo sunt que deinceps omni tempore

remiserunt tam uxor ipsius Narioti quam Hugo gener ejus, Tocciensis castri tunc temporis dominus, talliam scilicet denariorum, raptum, incendium, latrocinum, vaccam de karro, et quod in domo monachi septem vel octo diebus habitare solebant, et ne aliquid ab habitatoribus ville ipsius per vim exigent, remiserunt etiam ne aliquem ejusdem ville pro aliqua causa pro se aut pro aliis justitie subdant, nisi monachus ejusdem loci prepositus aut nolit aut non possit eos ad justitiam facere venire; remiserunt quoque tripedicum, patellam et cacabum que sibi, quotiens necesse fuisset, homines illius ville persolvere cogebant, et ne ibi prepositus habeatur preter prepositum Tocciensis castri. Ut autem nec ipsius nec successoribus eorum ea que indulta sunt ulla sit denuo repetendi libertas, rogaverunt nos predicti fratres sigillo nostre auctoritatis hanc corroborare remissionis cartam.

Hoc autem actum est apud predictum locum urbis Autissiodori, in capitulo sancti Stephani, incarnationis dominice MCX anno, indictione tertia, regnante Hludovici rege Francorum.

**Nr. 78, *Actes des comtes de Flandres, pp.175-76***

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ego Baldwinus, Dei gratia Flandrensum comes, Rodberti junioris videlicet filius, pro remedio animarum patris mei ceterorumque predecessorum meorum, berqueriam unam apud Slipan, singulis annis LII libras persolventem, que juxta Suthana jacet, ecclesie Sancte Dei genetricis Marie de Broburch, **una cum matre mea gloriosissima comitissa C.**, propria manu, jure perpetuo tendendam ab omni exactione liberam et absolutum dedi; donumque coram primatibus et viris terre mee confirmavi. Ut autem, quod fecimus, a nullo unquam successorum meorum possit inquietari, debilitari, cassari, litteris hoc precepimus annotari, nominibusque primatum et virorum meorum in confirmationem ipsius subscriptis, nostre auctoritatis sigillo signari. Actum est Furnis, anno Domini M<sup>o</sup>C<sup>o</sup>XVI, indicatione VIII, III<sup>o</sup> idus februarii, feria VI. Astabant autem testes hii: Theodericus notarius, Willelmus Philippi comitis filius, Baldwinus camerarius, castellanus Bergensis Froulfis, Balduinus ex Baliul, Reingerus dapifer, Heinricus Cassellensis, Baldwinus Botal, Sogir Iprensis, Bernoldus de Broburch, Godescalc de Gravenigga, Reinbaldus Gast, Elias frater ejus.

**Nr. 12, *De Oorkonden der Graven van Vlaanderen, (juli 1128-september 1191), II. Uitgave-Band I Regering van Diederik van de Elzas, ed. T. de Hemptinne and A. Verhulst (Brussels, 1988), p.35***

In nomine sanctae et individue Trinitatis.

Ego Theodericus, Dei gratia Flandrensum comes, notum facio tam presentibus quam futuris me, **rogatu domine Clementie comitisse**, dedisse terram Casletuli et Alnoit, a ponte et aqua usque ad Longam Plancam, et me esse adiutorem et defensorem et advocationem de Faumont et de curte Hali et de hiis etiam terris quas ipsa precio comparavit, scilicet Proiastre et Groscassel, et de omnibus que ipsa ad usus sanctimonialium ibidem Deo servientium pro remedio animarum nostrarum edificavit.

Chapter Three: The Consolidation of Protection, 1123-93

**Chronicon Sancti Petri Vivi Senonensis, ed. and trans. R.H. Bautier (Paris, 1979), p.146**

Anno M C VII. Hoc anno tenuit concilium apud Trecas papa venerabilis Paschalis II, in quo intentio ejus maxima fuit de Hierosolimitano itinere et de trecwa Dei.

**Lateran I, 1123, Decrees of the Ecumenical Councils, Vol.1, Nicaea I to Lateran V, ed. and trans. N.P. Tanner (London, 1990), pp.191-92**

Eis qui Hierosolymam proficiscuntur et ad christianam gentem defendendam et tyrannidem infidelium debellandam efficaciter auxilium praebuerint, suorum peccatorum remissionem concedimus et domos et familias atque omnia bona eorum in beati Petri et Romanae ecclesiae protectione, sicut a domino nostro papa Urbano statutum fuit, suscipimus. Quicumque ergo ea distrahere vel auferre, quamdiu in via illa morantur, praesumpserint, excommunicationis ultione plectantur.

**Lateran I, 1123, Decrees of the Ecumenical Councils, p.193**

Si quis Romipetas et peregrinos, apostolorum limina et aliorum sanctorum oratoria visitantes, capere seu rebus quas ferunt spoliare vel mercatores novis teloneorum seu pedaticorum exactionibus molestare tentaverit, donec satisfecerit, communione careat christiana.

**Eugenius III, ‘Überlegungen zum Kreuzzugsaufruf Eugens III. von 1145/46, Mit einer Neuedition von JL 8876’, ed. R. Grosse, Francia, vol. 18 (1991), p.91**

Nos autem uestrorum quieti et eiusdem ecclesie destitutioni paterna sollicitudine prouidentes illis, qui tam sanctum tamque pernecessarium opus et laborem deuotionis intuitu suscipere et perficere decreuerint, illam peccatorum remissionem, quam prefatus predecessor noster papa Urbanus instituit, auctoritate nobis a Deo concessa concedimus et confirmamus, atque uxores et filios eorum, bona quoque et possessiones sub sancte ecclesie, nostra etiam et archiepiscoporum, episcoporum et aliorum prelatorum ecclesie Dei protectione manere decernimus.

**Eugenius III, ‘Überlegunden zum Kreuzzugsaufruf Eugens III’, p.91**

Auctoritate etiam apostolica prohibemus, ut de omnibus, que illi, qui crucem acceperint, quiete possederint, nulla deinceps questio moueatur, donec de ipsorum redditu uel obitu certissime cognoscatur.

**Nr. 63, Eugenius III, 'Divina Dispensatione I', *Papsturkunden für Kirchen im Heiligen Lande*, ed. R. Hiestand (Göttingen, 1985), pp.193-5, here pp.194-95**

...illis, qui tam sanctum iter tamque pernecessarium opus et laborem deuotionis intuitu suscipere et perficere decreuerint, illam peccatorum remissionem, quam predecessor noster felicis memorie papa Vrbanus instituit, auctoritate nobis a Deo concessa concedimus et confirmamus atque uxores et filios eorum, bona quoque et possessiones sub sanctę ecclesię, nostra etiam et archiepiscoporum, episcoporum et aliorum prelatorum ecclesię Dei protectione manere decernimus. Auctoritate etiam apostolica prohibemus, ut de omnibus, que illi, qui crucem acceperint, quiete possederint, nulla deinceps questio moueatur, donec de ipsius reditu uel obitu certissime cognoscatur, deinde quicunque ere premuntur alieno et tam sanctum iter puro corde inceperint, de preterito usuras non soluant et, si ipsi uel alii pro eis occasione usurarum astricti sunt sacramento uel si fideiussores etiam uel obsides dederunt, eos apostolica auctoritate absolimus. Si qui uero possessiones aliquorum in pignore uel pignora etiam pro pecunia uel pro alia re ab aliquibus receperint, nihilominus auctoritate apostolica precipimus, ut receptis his tantum, que susceptis pignoribus illis tradiderunt, in eadem specie, in auro uidelicet siue argento uel aliis possessionibus ipsas et pignora eis libere restituantur et nihil ab eis amplius exigant. Liceat eis etiam terras siue ceteras possessiones suas, postquam commoniti propinquai siue domini, ad quorum feudum pertinent, pecuniam commodare aut noluerint aut non ualuerint, ecclesiis uel personis ecclesiasticis uel aliis quoque fidelibus libere et absque ulla reclamatione impignorare. Peccatorum remissionem et absolutionem iuxta prefati predecessoris nostri institutionem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum principum auctoritate nobis a Deo concessa tales concedimus, ut, qui tam sanctum iter deuote inceperit et prefecerit siue ibidem mortuus fuerit, de omnibus peccatis suis, quibus corde contrito et humiliato confessionem suscepere, absolutionem obtineat et sempiternę retributionis fructum ab omninum bonorum remuneratore percipiat. Vniuersitatem itaque uestram in domino commonemus et monendo precipimus, ut in conuentibus uestris populum uobis a Deo commissum ad tam sanctum et pium opus cum omni studio et diligentia moneatis atque eandem peccatorum remissionem et cetera, que pro ipsorum salute et utilitate a predecessoribus nostris et a nobis statuta sunt, ipsis diligenter annuntietis et etiam, que de usuris et de omnibus aliis **pro pace et quiete ipsorum, uxorum quoque et filiorum et familię eorum a nobis statuta sunt, sicut in scriptis nostris continentur, obseruari firmiter faciatis**, et, si qui de parrochianis uestris contra ea uenire et statuta nostra infringere presumpserit et a uobis commoniti non resipuerint, excommunicationis uinculo publice eos subiciatis et ipsam excommunicationem, donec satisfaciant, obseruari firmiter faciatis. Dat. Viterbii III<sup>o</sup> nonas octobris.

**Nr. 166, Eugenius III, 'Divina Dispensatione II', PL 180, col.1203-4**

Eugenius episcopus, servus servorum Dei, universis Dei fidelibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Divini dispensatione consilii factum credimus; quod tanta multitudo fidelium de diversis mundi partibus ad infidelium expugnationem accingitur, et fere tota Christianorum terra pro tam laudibili opere commonetur. Inter alios enim principes et potentes ipsi reges, qui caeteris nationibus dominantur, signo vivifcae crucis assumpto, ad deliberationem Orientalis Ecclesiae præparant, et crucis Christi inimicos, qui, peccatis exigentibus, in partibus illis fratres nostros apud Edessam et in aliis multis locis crudeliter trucidarunt, cum Dei auxilio, potenter expugnare disponunt. Rex quoque Hispaniarum contra Saracenos de partibus illis potentur armatur, de quibus jam per Dei gratiam sæpius triumphavit. Quidam etiam ex vobis tam sancti laboris et præmii participes fieri cupientes, contra Sclavos cæterosque paganos habitantes versus Aquilonem ire, et eos Christianæ religioni subjugare, Domino auxiliante, intendant. Quorum nos devotionem attendentes, omnibus illis qui crucem eadem Hierosolymam non acceperunt, et contra Sclavos ire, et in ipsa expeditione, sicut statutem est, devotionis intuitu manere decreverunt, illam remissionem peccatorum quam praedecessor noster felicis memoriae papa Urbanus Hierosolymam transeuntibus instituit, omnipotentis Dei et beati Petri apostolorum principis auctoritate nobis a Deo concessa concedimus eadem auctoritate sub excommunicatione prohibentes, ut nullus de paganis ipsis, quos Christianæ fidei poterit subjugare, pecuniam vel aliam redemptionem accipiat, ut eos in sua perfidia remanare permittat. Præterea quia expedire cognoscimus ut aliqua religiosa discreta, litterata persona sit inter vos, quæ paci et tranquillitati vestræ provideat, et unitatem inter vos conservet, et vos de promovenda Christiana religione commoneat, venerabilem fraterm nostrum A[nselnum], Havegelbergensem episcopum religosum, discretum et litteratum virum ad hoc providimus, et hanc ei sollicitudinem injunximus. Quocirca pro apostolica vobis scripta præcipimus, ut eum pro reverentia beati Petri et nostra et omnium vestrum salute diligatis et honoretis, ejusque salubribus consiliis et admonitionibus et præceptis, humiliter pareatis, ut Deus exinde honoretur, atque concordia et fraterna dilectio, Domino auctore, et ipsius studio annuente inter vos conservetur. **Illos autem qui ad tam sanctam expeditionem crucem acceperint, et bona eorum sub beati Petri et nostra protectione manere decernimus.**

Datum in territorio T[re]censi, tertio Idus Aprilis, pontificates autem nostri anno secundo.

**Alexander III, 'Inquantis pressuris', Papsturkunden für Templer und Johanniter, ed. R. Hiestand (Göttingen, 1972), pp.252-53.**

...illis, qui tam sanctum tamque pernecessarium opus et laborem deuotionis intuitu suscipere decreuerint et perficere, illam peccatorum remissionem, quam pie memorie Urbanus papa et idem antecessor noster Eugenius instituere, auctoritate nobis a Deo collata concedimus et confirmamus atque uxores et filios eorum, bona et possessiones suas sub beati Petri et nostra, archiepiscoporum etiam et episcoporum et aliorum prelatorum ecclesie Dei protectione manere decernimus.

Nr. 626, PL 200, cols. 599-601; here col.601

Ad hoc ne pium desiderium alicujus perturbatio pravorum exterreat, nos familias, possessiones eorum sub beati Petri protectione suscepimus, et in defensione nostra et praelatorum Ecclesiae statuimus permanere, auctoritate apostolica decernentes, ut de omnibus quae illi qui crucem acceperunt, quiete possederint, nulla post susceptam crucem quaestio moveatur, donec ipsi redierint, vel de eorum obitu certissime cognoscatur.

Lateran III, 1179, Decrees of the Ecumenical Councils, p.225

Interim vero eos, qui ardore fidei ad eos expugnandum laborem istum assumpserint, sicut eos qui sepulchrum Dominicum visitant, sub ecclesiae defensione recipimus et ab universis inquietationibus tam in rebus quam in personis statuimus manere securos. Si vero quispiam vestrum praesumpserit eos molestare, per episcopum loci excommunicationis sententia feriatur, et tamdiu sententia servetur ab omnibus, donec et ablata reddantur et de illatis damnis congrue iterum satisfaciat. Episcopi vero sive presbyteri, qui talibus fortiter non restiterint, officii sui privatione mulcentur, donec misericordiam apostolicae sedis obtineant.

Nr. 1504, PL 200, col. 1295

...illis autem, qui pro Christo hujus viæ laborem assumpserint, illam indulgentiam peccatorum, quam Patres et prædecessores nostri Urbanus et Eugenius Romani pontifices statuerunt, apostolica auctoritate concedimus, et confirmamus. Uxores quoque, et filios eorum, et bona et possessiones suas, sub beati Petri et nostra, nec non et archiepiscoporum, et episcoporum et aliorum prælatorum Ecclesiae, decernimus protectione manere: prohibentes attentius, ne adversus eos de his, quae pacifice possident, aliqua post susceptam crucem quaestio moveatur, donec redeant, vel de ipsorum obitu certissime cognoscatur.

Nr. 165, Papsturkunden für Templer und Johanniter, pp.352-56, here pp.355-56

Illi autem, qui huius uie pro Christo laborem assumpserint, illam indulgentiam peccatorum, quam patres et predecessores nostri Urbanus et Eugenius Romani pontifices statuerunt, apostolica auctoritate concedimus et firmamus. Vxores quoque et filios eorum, bona et possessiones suas sub beati Petri et nostra, archiepiscoporum etiam, episcoporum et aliorum prelatorum ecclesie decernimus protectione manere prohibentes attentius, ne aduersus eos de hiis, que pacifice possident, aliqua post susceptam crucem quaestio moueat, donec redeant uel de ipsorum obitu certissime cognoscatur. Liceat autem eis terras seu possessiones alias, postquam propinqui aut etiam domini sui, ad quorum feudum pertinent, pecuniam ipsis mutuare aut noluerint aut non potuerint, ecclesiis uel personis ecclesiasticis aut aliis fidelibus libere et sine ulla reclamatione pro expensis huius itineris titulo pignoris obligare. Preterea quicunque de uiros bellicos et ad illius terre defensionem idoneis illa sancta loca ferore deuotionis adierint et ibi duobus annis uel tribus contra Saracenos pro christiani nominis defensione pugnauerint, de Ihesu Christi pietate et

beatorum apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi eis omnium suorum, de quibus corde contrito et humiliato confessionem susceperint, absolutionem facimus delictorum, nisi forte aliena bona rapuerint uel usuras extorserint aut commiserint furta, que omnia debent in integrum emendari.

**Audita tremendi, Gesta Regis Henrici Secundi Benedicti abbatis, vol. 2, ed. W. Stubbs (London, 1867), pp.15-19, p.19**

**Bona quoque ipsorum, ex quo crucem acceperint, cum suis familiis sub sancte Romanæ ecclesiæ necnon et archiepiscoporum et episcoporum et aliorum prælatorum ecclesiæ dei protectione consistant et nullam de his, quæ usque ad susceptionem crucis quiete possederint, donec de ipsorum reditu vel obitu certissime cognoscatur, sustineant quæstionem sed bona eorum integra interim maneant et quieta.**

**Nr. 3, PL 202, col.1539**

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, universis Christi fidelibus ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Nunquam melius superni Judicis ira pacatur quam cum ex mandato ipsius carnalia in nobis desideria exstinguuntur. Proinde quia Hierosolymitanæ terræ discrimin, quod irruentibus Saracenis nuper evenit, ex peccato maxime habitatorum terræ et totius populi Christiani accidisse non dubitamus, nos de fratum nostrorum communi consilio, multis episcopis approbantibus, statuimus ut omnes usque ad quiennium, saltem per omnes sextas ferias, in cibo quadragesimali jejunent; et missa, ubi cantanda fuerit, ad Nonam cantetur; quod ab Advento Domini usque ad Natale Domini statuimus observandum; feria vero quarta et Sabbato omnes indifferenter, qui bene valent, a carnis abstineant. Nos autem et fratres nostri in secunda quoque feria nobis et familiis nostris esum carnis interdicimus, nisi forte aut infirmitas, aut magna solemnitas, vel alia evidens causa, visa fuerit impedire, **sperantes quod sic nobis ignoscet Dominus et reliquet post se benedictionem.** Hoc igitur adeo statuimus observandum, ut quicunque transgressor exstiterit, quasi prævaricator quadragesimalis jejunii habeatur.

**Nr. 224, PL 206, cols.1107-10, here col. 1109**

**Bona quoque ipsorum ex quo crucem acceperint cum familiis suis sub sanctæ Romanæ Ecclesiæ, nec non et archiepiscoporum atque aliorum prælatorum Ecclesiæ Dei protectione consistant, et nullam de his quæ in susceptione crucis quiete possederint, donec de ipsorum reditu vel obitu certissime cognoscatur, sustineant quæstionem, sed bona ipsorum integra interim remaneant et quieta.**

**Nr. 102, PL 206, cols. 970-73, here col. 973**

Taliter etiam unitati et pacis concordiæ ad invicem procurrent intendere, ut **nullius sit qui adversus alium guerram intendat**, vel armis injuriam audeat propulsare; sed communiter potius studeant, quæ dissidentium animos studio ac labore diligenti reformat.

**Nr. 238, PL 206, col.1135**

Cœlestinus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HUBERTO Cantuariensi archiepiscopo, et apostolicæ sedis legato, salutem et apostolicam benedictionem.

Ex parte tua in audientia fuit nostra postpositum, quod multi sunt in Anglia, qui, ut sepulcrum Domini visitarent, et illi Terræ Sanctæ in qua steterunt pedes Domini subsidium opportunum conferrent, crucem Dominicam assumpserunt; et licet votum possint perficere, tamen ab executione ejusdem se substrahunt in suarum periculum animarum. Sunt etiam quidam qui, licet crucem susceperint, **pro paupertate tamen et corporis debilitate, vel alia justa causa, emissum votum non possunt**, sicut convenit, adimplere. Verum quia quid super his agendum sit circa eos, nos duxit fraternitas tua consulendos: auctoritate tibi præsentium respondemus, per apostolica scripta mandantes, quatenus omnes illos, qui votum tale emiserunt, sicut dictum est, et ad illud explendum propriæ suppetunt facultates, nisi ex justa causa omittendum, eos ad exsequendum quod gratis vovisse dicuntur, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellas. Cæterum de his qui paupertate et corporis debilitate, vel alio justo impedimento, votum quod emisisse noscuntur, non possunt, sicut convenit, adimplere; volumus ut, cum super his veritas tibi fuerit declarata, pœnitentia congrua eis injuncta, licentiam eis tribuas remanendi: eisdem firmiter injungens, ut, quam cito exsequendi votum suum libera eis fuerit attributa facultas, id exequi sine dilatione aliqua non postponant. His vero, quos pro infirmitate corporis tibi constiterit nullatenus posse in propria persona votum suum proseQUI, **unam personam idoneam, vel plures, secundum quod facultates eorum suppetierint, ultra mare transmittant in suis expensis, per annum, vel amplius** juxta tuum arbitrium, ibidem in Jesu Christi obsequio moraturas.

## Chapter Four: Royal Crusade Regencies in France and Germany: the Second Crusade

### OD, p.8

Rex interim, pervigil in incoepio, Romam Eugenio papae super hac re nuntios mittit. Qui laetenter suscepti sunt laetantesque remissi, referentes omni favo **litteras dulciores, regi oboedientiam, armis modum et vestibus imponentes, iugum Christi suave suscipientibus peccatorum omnium remissionem parvulisque eorum et uxoribus patrocinium promittentes, et quaedam alia quae summi pontificis sanctae curae et prudenti visa sunt utilia continentest.**

### OD, p.14

Rex autem, more suo sub timore Dei reprimens potestatem, praelatis ecclesiae et regni optimatibus elegendi indidit libertatem. Eunt igitur ad consilium; et post aliquantulam moram, cum quod erat melius eligissent, sanctus abbas praecedens revertentes, sic ait “Ecce gladii duo hic. Satis est,” te, pater Suger, et Nivernensem comitem monstrans. Quod valde placuit omnibus si soli comiti placuisset. Sed se ille Carthusiae devoverat, quod cito post effectui mancipavit nec regis nec omnium diutinis precibus potuit revocari.

### OD, p.20

Post discessum gloriosi regis ab ecclesia beati Dionysii nihil in regno eius actum est memorandum, nisi forte vultis scribi quod in regni cura **vobis dedit socium Remensem archiepiscopum.** Nescio tamen si **comes Rodulfus** (quia tunc excommunicatus erat) debeat a communione nostri sermonis excludi; qui, ne **vobis duobus deesset saecularis gladius, tertius additus est, ut triplex funiculus difficile rumperetur.**

### William of St Denis, *Oeuvres*, vol. 2, ed. and trans. F. Gasparri (Paris, 2001), p.333

Eo igitur tempore quo christianissimus Francorum rex Ludovicus crucem post Dominum bajulans Iherosolimam profectus est, initum est a pontificibus regni vel proceribus generale consilium, **cum potissimum ex optimatibus vel personis ecclesiasticis rerum summam et regni oporteret committi gubernacula.** Factumque est, Divinitatis instinctu, **ut omnium unanimis in hunc virum gloriosum conveniret sententia, invitumque illum ac satis renitentem reipublice amministrationem et curam suscipere compulerunt.** Quam ille dignitatem, quia **honus esse potius quam honorem** judicabat, quantum fas fuit, recusavit nec ad suscipiendum omnino consensit, donec ab Eugenio papa, qui profectio regie presens affuit, cui resistere nec fas fuit nec possibile, tandem coactus est.

### OD, p.12

Ceterum dum rex lustrans omnia statum **regni ordinat, dum subditis in posterum pacem firmat,** omnes undique nuntii Parisius convenerunt.

**OD, p.16**

**Papa vero bene ordinata confirmat, enormia multa componit dum regis promotionem expectat.**

**Nr. 191, PL 180, cols. 1234-36, here 1235**

Præterea, pactum et conventionem inter te et charissimum filium nostrum Ludovicum, regem Francorum illustris memoriae, factam, **de loco in suburbio Parisiensi sito qui Campellus** nominatur, tibi nihilominus confirmamus; ita videlicet, ut tertia pars totius redditus fossati illius terræ, sive in censu seu in emptionibus, venditionibus, quæstibus aut aliis quibuscumque modis aliquid inde processerit, tibi et successoribus tuis, absque diminutione aliqua, persolvatur: duæ vero reliquæ partes regali fisco reddantur. Quicunque vero fuerit præpositus regis, super hoc fidelitatem tibi tuisque successoribus faciat; et tuus, regi et hæredibus suis; et unus absque altero nihil de terra illa suscipiat vel disponat.

**Nr. 3, ‘Variorum ad Eugenium Papam Epistolae’, PL 180, cols.1616-17, col.1617.**

Dilectissimo in Christo Patri suo EUGENIO sanctæ Romanæ Ecclesiæ summo pontifici CONRADUS Dei gratia Romanorum rex et semper Augustus filiale per omnia dilectionem et debitam in Domino reverentiam.

Litteras sanctitatis vestræ per legatum vestrum, virum utique nobis cum omni dilectione et honore neminandum T. Sanctæ Rufinæ episcopum, missas gratissime accepimus, et quæ in ipsis continebantur, filiali et intima charitate ad effectum perduximus. Siquidem de ordinatione regni nobis a Deo concessi, super qua nos paterna sollicitudine monere et exhortari curastis, magna cum attentione et diligentia in frequenti principum conventu apud Frankenevort, ubi generalem curiam habuimus studiose et efficaciter, Deo præstante, tractavimus, ordinataque et firmata communi per omnes regni nostri partes solida pace, filium nostrum Heinricum in regem et sceptri nostri successorem unanimi principum convenientia, et alaci totius regni acclamazione electum, mediante hac Quadragesima in palatio Aquisgrani coronare, divina præeunte misericordia, decrevimus. Sane quod dicitis, nos rem tantam scilicet de signo vivifcae crucis, et de tantæ tamque longæ expeditionis proposito absque vestra conscientia assumpsisse, de magno veræ dilectionis affectu processit. Sed Spiritus sanctus, qui ubi vult spirat, qui repente venire consuevit, nullas in captando vestro vel alicujus consilio moras nos habere permisit. Sed mox ut cor nostrum mirabili digito tetigit, ad sequendum se sine ullo moræ intervenientis spatio, totam animi nostri intentionem impulit. Et quoniam vos ad partes Galliæ tam per litteras vestras, quam per legatum vestrum venire cognovimus, venerabilem paternitatem vestram ut ad Rhenum accedere velitis, summa cum dilectione attente monendo invitamus, quatenus simul positi, ea Deo miserante pariter tractare ac disponere valeamus, per quæ pax Ecclesiarum et Christianæ religionis ordo congruis provectibus augeatur, et regni nobis a Deo concessi status cum nostri honoris incremento opportunis decretis firmetur. Et quoniam in articulo profectionis nostræ nulla nobis prolixitas temporis suppetit, in sexta feria, quæ in paschalem hebdomadam habetur, desideratam faciem apud Argentinam videre optamus. Legatos nostros, viros utique prudentes et discretos, ac

sanctæ Romanæ Ecclesiæ regnique amatores ac nobis charissimos, **Buconem videlicet Wormatiensem episcopum, Anselmum Havelbergensem episcopum, Wibaldum Corbeiensem abbatem vestræ sinceritati commendamus, ut ea quæ vobis dixerint tanquam ab ore nostro audiatis, et in rebus sanctæ Romanæ Ecclesiæ et regni cum eis formaliter tractare ac disponere non abnuatis.**

**Nr. 48, Wibald of Stablo, ‘Epistolae’, *Bibliotheca Rerum Germanicarum, vol. 1, Monumenta Corbeiensia*, ed. P. Jaffé (Berlin, 1864), vol. 1, p.126**

Preterea **fidelitati tuae dilectum filium nostrum** attentius **commendamus**, rogantes, quatinus pueritiam eius gubernare et regere tua non desinat prudentia.

**Nr. 11, RHGF vol. 15, p.487**

*LUDOVIDUS, Dei gratiâ Rex Francorum et Dux Aquitanorum, Sugerio, eâdem gratiâ venerabili abbati S. Dionysii, et R. Viromandensi Comiti, salutem et gratiam nostram. NOSTRA vobis manifestavimus negotia, et iterum vobis notum facimus, ut, juxta nostræ voluntatis mandatum, illa pro posse vestro adimplere festinetis. De cætero, vobis ut fidelibus et amicis nostris carissimis mandamus, quatinus domum nostram de Gisortio, ad nostram siquidem utilitatem, servari faciatis, et diligentiori curam amodo provideatis. Valete.*

**Nr. 13, RHGF vol. 15, p.488**

De perquirenda verò pecunia, quam nobis in usus quotidianos pernecessariam vestra prudentia non ignorat, vos rogamus, et quantâ possumus precum instantiâ petimus; et per debitam nobis dilectionem et fidem vos obsecramus, ut vigili sollicitudine, quibuscumque poteritis modis, mittendam nobis pecuniam diligenter colligere, **collectamque mittere festinanter sine cunctatione studeatis.**

**Nr. 174, PL 180, col.1212-13**

Eugenius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri ADALBERONI Trevirensi archiepiscopo, ejusque successoribus canonice substituendis, in perpetuum.

Cum universis S. Ecclesiæ filiis debitores ex injuncto nobis a Deo apostolatus officio existamus, illos tamen patres nostros, episcopos, et Ecclesiarum Dei rectores, quos in fidelitate et servitio S. Romanæ Ecclesiæ devotiores a longis retro temporibus cognoscimus exstisset, arctioris charitatis brachis diligere volumus, et fovere, et Ecclesiis, in quibus Domino militare noscuntur, suam justitiam conservare. Eapropter, venerabilis frater in Christo, Adalbero Trevirensis archiepiscope, devotionem tuam erga beatum Petrum, ejusque sanctam Romanam Ecclesiam, et nos ipsos attendentes, tuis justis postulationibus clementer annuimus, et prædecessoris nostri felicis memoriæ papæ Innocentii vestigiis inhærentes, illud juris, quod charissimus filius noster, Conradus Romanorum rex, sive antecessores ejus in abbatia S. Maximini habuisse noscuntur; quodque tibi, et per te Trevirensi Ecclesiæ ab eodem Conrado collatum sive restitutum est, sicut in ejusdem regis scripto de restitutione et confirmatione continetur, tibi et successoribus tuis auctoritate apostolica confirmamus, et

scripti præsentis pagina communimus. Pacem quoque et concordiam, sive transactionem, quæ inter te et nobilem virum Henricum Namurensem comitem in præsentia præfati regis per charissimum filium nostrum Bernardum Clarævallensem abbatem et principes ipsius regni rationabili providentia facta est, et ejusdem scripto regis firmata, ratam et inconvulsam manere sancimus, et præsentis scripti munimine roboramus. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ confirmationis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque sese divinio judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et **a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat**, atque in extremo, examine districtae ultiōi subjaceat. Amen, amen, amen.

#### Nr. 272, PL 180, col.1321

Eugenius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis et dilectis filiis abbatibus per Teutonicum regnum constitutis salutem et apostolicam benedictionem.

Sicut manifeste vestra prudentia recognoscit, **charissimus filius noster Conradus Romanorum rex divini amoris fervoribus excitatus, vivificæ crucis signo suscepto, ad debellandam idololatrarum insaniam, et ad cultum Christiani nominis propagandum sese viriliter ac potenter accinxit.** Cum itaque omnibus ex nostro simus officio debitores, pro ipso tamen magis debemus et prouensius volumus esse solliciti. **Unde fraternitatem vestram præsentibus exhortamur epistolis, et exhortando mandamus, quatenus charissimo filio nostro Henrico Juniori regi, Romanorum regis illustris Conradi filio diligenter et fideliter assistatis;** et in his, quae ad Patris sui honorem et regni statum pertinere noscuntur, ut pax per omnipotentis Dei gratiam in populis sibi subjectis integra conservetur, opem ei et consilium, quando vestrum auxilium postulaverit, impendatis. **Nolumus siquidem, ut sub protectione beati Petri in patris sui absentia aliquatenus honoris sui detrimentum vel defectum incurrat.**

Data Remis Kal. April.

#### William of St Denis, p.335

Rege igitur peregre jam profecto, cum vir egregius rerum dominio potiretur, ceperunt latrunculi per regnum passim erumpere et conceptas diu factiones proferre in publicum, ex principis scilicet absentia nacti, ut sibi videbatur, saeviendi licentiam. E quibus alii quidem ecclesiarum et pauperum facultates aperta diripiebant violentia, alii vero locis occultioribus latrocinia exercebant. In quorum ultionem dux novus gemino statim accinctus est gladio, altero materiali et regio, altero spirituali et ecclesiastico, utroque autem a summo sibi Pontifice divinitus commisso.

#### William of St Denis, p.337

Hoc modo vir virtutis, **exterius leo, intrinsecus agnus**, Christo duce prelia regni preliabatur pacifice.

**Nr. 4, Suger, Oeuvres, vol. 2, pp.15-25; here p.25**

Est et aliud quod Paternitati vestre volumus capitulum innotescere: ut, sicut primum mandastis, eorum salvis tantum prebendis, prepositure et terrarum custodia canonicis regularibus remaneant. Quoniam si exterioribus remanserint, omnia dilapidabunt et sibi subripient, et ad defectum victualium ut vel sic ordo periclitetur, forsitan crudeliter elaborabunt. Aliud quoque est quo in hoc principio laboris sui filii vestri potissimum indigent. Quendam Rodulfum emulantem et derogantem eorum religioni mucrone beati Petri, ut convertatur, feriendo compescatis, et ne impunitate ejus aliorum emergat contumacia, ejus stultitiam reprimatis. Conterat Dominus omnipotens omnem hostem sub pedibus vestris. Nos autem servitio vestro paratos, et ecclesiam nostram sed et charissimum filium vestrum Ludovicum regem Francorum, in opere Dei tam laboriose negotiantem, sanctis orationibus vestris commendamus, rogantes ut **si quid de eo certum audistis nobis insinuetis**. Valeat in eternum Sanctitas vestra, amantissime pater et domine.

**Nr. 229, PL 180, cols. 1283**

Eugenius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio SUGERIO S. Dionysii abbatii, salutem et apostolicam benedictionem.

Nuntium et litteras tuas benigne suscepimus, et quod in eis continebatur diligenter attendimus. Quod autem pro Parisiensi ecclesia te sollicitum esse perpendimus, gratum habemus; et si qua in ea perperam committuntur, pro nostri officii debito condolemus, et ut ad viam rectitudinis revocentur, operam dare Domino auxiliante curabimus. **De episcopis vero qui pro defensione regni tibi opem ferre et adesse recusant**, ne omnes simul in culpam inducere videamur, nobis de aliquibus nominatim significices, **ut eos apostolicis affatibus corripiamus, et exhortemur, quatenus ad conservandum statum regni promptiores existant, et ad ea quae regni honori et utilitati expediunt, vires et consilium subministrent**. Porro, quod loca regni tibi commissi pro voluntate nostra ad celebrandum concilium obtulisti, devotionem tuam in Domino, collaudamus; sed quoniam nostrum firmaveramus consilium, propositum nostrum non duximus immutandum. Præterea de duce Lotharingiæ, quem pro aliis culpis excommunicavimus, quando locus et tempus tulerit, justiam, quam aliis non negamus, tibi plenius et diligentius faciemus. Caeterum, quod super ecclesia de Buxis tua dilectio postulavit, si temporis opportunitas dederit, in reditu nostro præstante Domino fieri poterit.

Datum Antissiodori, II Nonas Octobris.

**Nr. 3, Suger, Oeuvres, vol. 2, pp.13-15**

Domino et venerabili, Dei gratia Andegavorum episcopo, Ulgerio, Sugerius, eadem gratia Beati Dionysii abbas, devotas in Christo orationes et sincerae dilectionis obsequium.

Susceptis gratissimarum literarum vestrarum venerandis apicibus, usque adeo, etsi duriores essemus, nos deflecti oportuit ut debitum regni cui fideliter deservire volumus pene oblivioni traderemus, et beneplacito vestro aurem accommodaremus. Nolentes igitur ecclesiam Burguliensem diutius defatigari, nec regiae majestatis dignitatem diminui, unum faciendo et

alterum omittendo, amore Dei et prece vestra, quem multum diligimus, et Burguliensis conventus supplicationibus, electioni eorum assensum, salvo regni jure, taliter dedimus ut, si quid inde contra regiae majestatis dignitatem minus bene factum fuit, domino regi, quando Deo volente redierit, sicut modo si adesset, si ei placuerit, judicio curiae suae respondeant, vel nobis qui loco ejus providemus si inde agere voluerimus.

**Nr. 65, RHGF vol. 15, pp. 507-8, p.508**

Et ideo **vos rogo ut pro regali quod meum est, capiceriam ab episcopo non requiratis; sed si eam precibus ab episcopo quæsieritis, inde me non intromitto.** Valete.

**Nr. 13, Suger, Oeuvres, vol. 2, p.53**

Sugerius, Dei gratia Beati Dionysii abbas, capitulo Carnotensi, Roberto scilicet decano et aliis, salutem et dilectionem.

**Quod unanimiter et communi pace pontificem vobis dominum Goslenum archidiaconum elegistis, valde nobis placet.** Enim vero ipsum honestum et liberalem et audivimus et credimus. Nos autem, quantum ex parte domini regis cuius vices agimus facere habemus, huic electioni libenter assensum praebemus. **De regalibus vero, sicut in curia dominorum regum Francorum mos antiquus fuisse dignoscitur, cum episcopus consecratus et in palatium ex more canonico fuerit introductus,** tunc ei reddentur omnia. Hic est enim redditionis ordo et consuetudo ut, sicut diximus, **in palatio statutus regi et regno fidelitatem faciat et sic demum regalia recipiat.**

**Nr. 12, Suger, Oeuvres, vol. 2, pp.51-53**

Sugerius, Beati Dionysii gratia Dei abbas, venerabili capitulo Carnotensis ecclesiae, salutem et dilectionem.

Novit discretio vestra quod gloriosus rex Francorum **Ludovicus, karissimus dominus noster, famosam peregrinationem amore Dei suscipiens, archiepiscoporum et episcoporum ac regni optimatum consilio, nec sine domini papae assensu, curam amministrationis regni sui nobis commiserit, et quoniam, ex debito officii, ea quae ad regnum spectant diligenter perquirere et fideliter nos oportet conservare, praesentium latores nuncios nostros ex parte domini regis ad recipienda et conservanda regalia dilectioni vestrae delegamus,** rogantes ut in quibus oportuerit tanquam regni fideles, donec ecclesiam vestram, tanto et tam gloriose pastore viduatam, divina misericordia idoneo successore consueto ordine consoletur, fideliter adjuvetis. Quanto siquidem regni aeterni amplificationi operosius innititur, tanto suum sibi integre conservari potissimum meretur.

**Nr. 369, Bernard of Clairvaux, *Sancti Bernardi Opera*, vol. 8, p.328**

Amantissimo patri et domino Sugerio, Dei gratia venerabili abbatii Beati Dionysii, frater Bernardus de Claravalle: salutem et orationes.

BENEDICTUS Deus, qui in manu vestra OPERATUS EST SALUTEM in ecclesia Sanctae Genovefae, ut domus Dei restitueretur ordini et disciplinae. Agit vobis gratias apostolica ipsa auctoritas, quod fideliter et efficaciter opus magnificum incoepistis; agimus et nos quas possumus gratias, et quicunque Deum diligunt in veritate. Rogamus itaque et obnoxius postulamus ut, secundum apostolicarum tenorem litterarum, operi manuum vestrarum dexteram porrigatis, ut quod magnifice coeptum est, vestrae magnitudinis opera proficere possit in dies et feliciter consummari. Iam pro ecclesia Sancti Victoris caritatem vestram sollicitare superfluum iudicavimus, quia **omnium ecclesiarum custodia vobis commissa esse noscitur. Sed his debetis amplius, quarum religio amplius noscitur indigere.**

**Nr. 370, Bernard of Clairvaux, *Sancti Bernardi Opera*, vol. 8, p.329**

Carissimo patri et domino Sugerio, Beati Dionysii abbatii, frater Bernardus, Claravallensis vocatus abbas: salutem et dilectionem.

**OPORTET vos operari opera eius, qui vos reliquit in loco suo, immo opera Domini Dei vestri, qui ad tale ministerium vos elegit.** De operibus eius est, quod ecclesia de Monte religionem induit et decorem, ubi vos novella illa plantatio consiliatorem et auxiliatorem magnum invenit. Supplicamus ut, quod bene coepistis, melius consummetis, et opponatis vos MURUM PRO DOMO ISRAEL, ut non praevaleat homo. Dignemini etiam consolari abbatem loci illius, quia pusillanimis est, quia sic convenit honori personae vestrae, et saluti animae vestrae, et specialiter in tempore isto.

**Nr. 378, Bernard of Clairvaux, *Sancti Bernardi Opera*, vol. 8, p.342**

Domini dilectissimo Sugerio, Dei gratia venerabili abbatii Sancti Dionysii, frater Bernardus, Claraevallis abbas: salutem et orationes.

FRATRES nostri de Bituricensi archiepiscopatu, de Domo Dei, egent pane, et audivimus quod abundat ibi annona domini Regis, et parum venalis inibi videtur. Itaque rogamus vos, ut praecipiatis eis dari de annona illa, quantum visum fuerit prudentiae vestrae. Nam et **dominus Rex, dum in hac terra esset, eis benefacere solebat.**

**Nr. 8, RHGF vol. 15, p.486**

*VENERABILI amico suo et domino Sugerio, abbatii S. Dionysii, H. de Liziniaco, salutem et præcordialitatis vinculum.* VESTRÆ præcipuè dilectioni vestrisque præceptis nos per omnia fideliter obtemperantes, fidelem nostrum atque vestrum Wiormandum vestræ præsentia dirigimus: cui fideliter per omnia credatis, et per eumdem, ut strenuus et prudens, **super negotiis Pictaviæ**, ut tantum decet amicum, nobis benignè rescribatis.

**Nr. 9, RHGF vol. 15, p.486**

*SUGERIO Dei gratiâ venerabili abbatii S. Dionyssi, W. de Mausiaco ejus amicus, et Regis Francorum senescalcus, salutem. NOVIMUS equidem dilectionem vestram et ingenium circa negotia terræ Regis semper et affectuosè intentum; nostrum vero circa Pictaviæ negotia, quantum potuit, fideliter intentum, vestra satis novit discretio. Quapropter benignitate vestræ mandamus, ne aliquid fraudis post me lateat, ut quam citius poteritis ad præsens, et omni occasione remotâ, præpositum de vestris sapientem et probum Burdello mittatis. Quod nisi feceritis, in rei veritate sciatis Burdellum, et omnem illius regionem, nisi Deus fecerit, irrecuperabiliter amittendam; nam fideles regionis illius mihi hoc scripserunt quod inimici et burgenses in ipsa civitate occidebant. Insper, ut domino et amico mando, quod turrem Talemundi, in quam potui, ad honorem Regis fideliter hucusque servari. Modò vero dominus Elbo de Malleone redditus turris mihi ex toto aufert; et domino episcopo Pictavensi dixit, quod amplius redditus turris me non sufferet habere. Quapropter mando, et sublimitatem vestram deprecor, ut hominem talem mittatis, cui turrem reddam, qui eam fideliter conservet: nam Hierosolymam sum iturus, nec possum eam servare, noc amplius certe servabo. Vale. Donum vestrum, si placet amicitiae, vestræ, ut peregrinus requiro.*

**Nr. 15, RHGF vol. 15, p.489**

*SAMSON, Dei gratiâ Remorum archiepiscopus, carissimo ac præcordiali amico suo Sugerio, venerabili abbatii B. Dionysii, salutem et quidquid in utraque vita melius, quidquid jocundius. DE vestra dilectione et strenuitate confisi, quam sæpenumero experti sumus, benignitatem vestram cum multa precum instantia suppliciter exoramus, quatinus nunc in magna necessitate nostra, ad honorem Dei et vestrum, et ad liberationem ecclesiarum B. Mariæ et B. Remigii, absque longiore mora nobis in manu forti succurrere studeatis. Burgenses etenim de Sancto-Remigio, qui prædictis ecclesiis et nobis atroces injurias et detimenta gravia intulerunt, nunc tandem contra nos superbè insurrexerunt, et milites conduxerunt, ut nos infestent, et ea quæ ad nos pertinent diripiant. Valete.*

**Nr. 30, RHGF vol. 15, p.494**

*DOMINO et patri Sugerio, venerabili Dei gratiâ S. Dionysii abbatii, Odo eadem gratiâ humilis Belvacensis episcopis, in abundantia pacis ferre salutem indigentibus. SCRIPTO et vivâ voce clericorum nostrorum, miseriam quam patimur vestræ paternitati aliâs indicavimus; et remedium quod à vobis sperabamus, adhuc exspectamus. Animadvertisimus autem intentionem et consilium Comitis R. quod per hanc turbationem et pacis dilationem querat expellere Comitem Claromontanum, amicum nostrum, hominem venerandum et miserandum: quippe, si anniteretur paci, omnem seditionem sedare potuisset, quia si diceret ipse, et facta sunt, et præceptum ejus nemo præteribit. Sed, cum habeant inducias usque ad instantem dominicam, det operam vestra discretio, ut locum et diem nominetis colloquio cui interesse possitis et velit. Confidimus in Dei bonitate, quod in præsentia vestra tumultus iste pacabitur, et sapientiae vestræ manus non evadet concordia; aut, si impossibile est paci prorsus consulere, longas invicem fœderabunt inducias. Nec mirum videtur, si usque ad eo*

pacem quærimus, et de guerra conquerimur multis ex causis, quas vestræ dulcedinus consilio non minùs quàm ex ore nostro credibiliter expediet præsentium portitor familiaris noster.

**Nr. 45, RHGF vol. 15, p.499-500, here p.500**

**Vobis notificamus quòd C. cancellarius, quem in terram illam misistis, valde eam turbavit, et maximam pecuniam sibi acquisivit.**

**Nr. 38, RHGF vol. 15, pp.496-97**

*DOMINI et patri Sugerio, venerabili abbatii S. Dionysii, T. Dei miseratione Ambianensis presbyter humilis ex animo servitium. OBSECRO, mi domine, dele me de libro tuo quem scripsisti.* Siquidem scripsistis mihi super expeditione regia, ad quam nullatenus sufficere valeo. **Veritatem dico amico meo, non mentior; unde parcat mihi dominus meus.** Etenim tam domini Papæ quàm domini Regis servitium valde tenuem me fecerunt, et in frixorio quotidiano me posuerunt. Valete, et attendite.

**Nr. 47, RHGF vol. 15, p.500**

*LUDOVICUS, Dei gratiâ Rex Francorum et Dux Aquitanorum, Sugerio, eâdem gratiâ venerabili abbatii S. Dionysii, salutem et gratiam.* SUPER Reginaldo de Bulis, qui nobiscum ad Dei servitium et nostrum peragendum in Orientis partibus remansit, vobis mandamus quatinus terræ suæ, quam, defuncto fratre suo Manasse, jure **patrimonii obtinere debet, et hominibus omnibus ad eum pertinentibus** tamquam nostris propriis **providentiæ curam adhibeatis;** et si quis eos in aliquo infestare voluerit, vos pro posse vestro vestrum illis impertiamini auxilium. **Super Drogone de Munci, qui mortuus est, similiter vobis mandamus quatinus hæreditatem suam tamquam nostram propriam, ad nostram** siquidem utilitatem, servari faciatis. Valete.

**Nr. 54, RHGF vol. 15, p.502**

*LUDOVICUS, Dei gratiâ Rex Francorum, carissimo suo Sugerio venerabili abbatii S. Dionysii, salutem et plurimam dilectionem.* DILECTIONI vestræ rogantes **mandamus ut fidelem nostrum A. de Vilerum, cum omnibus ad ipsum respicientibus, vice nostrâ diligenter tueri et defensare studeatis, quoniam devotus semper nobis assistere studuit in partibus alienis.**

**Nr. 60, RHGF vol. 15, p.506**

**AD VOS tamquam ad dominum clamamus et conquerimur, quippe in manu et tutela vestra à domino Rege commissi sumus.**

**Nr. 33, RHGF vol. 15, p.494-5, here p.495**

Et quia abundans cautela non nocet, et **totius Flandriæ potestas usque ad mare, absente Comite, in manu Comitissæ est,** videretur nobis consilium **ut nuncium nostrum et nuncium Comitis Rodulfi, unà cum literis nostris et nuncio nostro, ad Comitissam Flandrensem mitteretis, et rogaretis eam ut,** quando necesse fuerit ad partes illas transire,

**pro amore vestro transeundi per terram et potestatem suam salvum conductum nobis et nostris donet, et in eundo et redeundo;** et si quos de suis qui nos conducant ab ea postulaverimus, illos nobis mittat; et super his omnibus literas suas extra sigillum suum pendentes nobis mittat, in quibus hæc contineantur.

**Nr. 40, RHGF vol. 15, p.497**

**NOVERIT prudentia vestra, me venisse Remis ad Apostolicum; et Comitissa Flandrensis me duxit illuc pro negotio suo: ibique et de ejus et de meo tractamus negotio.**

**Nr. 56, RHGF vol. 15, p.503**

*SUGERIO, Dei gratiâ B. Dionysii abbati, amico suo carissimo, T. Blesensis Comes, salutem et dilectionem. NOTIFICO vobis injuriam et dedecus quæ Salo vicecomes Senonensis intulit Regi, et vobis, qui terram ejus in custodie habetis, mihiique damnum et dedecus. Guarinus enim filius ejus cepit cambiatores de Vizeliaco ad instantes nundinas meas de Pruvino venientes, in cheminô domini Regis inter Senonas et Braium: quem ipse Salo et præpositus Regis de Senonis jurejurando in securitate Regis posuerunt, et eis valens septingentas libras et plus, ut asserunt, abstulit. Unde vobis mando et precor ut vos pigate de cheminô Regis infracto, et Saloni viriliter mandetis ut quidquid cambiatoribus ablatum est, remotâ omni occasione et dilatione, reddat, et redi faciat. Nam Salo in vestro posse est, nec poterit vobis resistere plusquam aliquis armiger, ex quo bene volueritis; et quid inde feceritis, mihi per præsentium latorem remandate. Non enim paterer hanc injuriam inultam remanere, quæ ad destructionem nundinarum mearum spectat. De cætero, nostis vos mihi significasse, et ego vobis mandavi, quòd vobiscum loquerer, si mihi remandaretis hoc esse velle vestrum, in die lunæ ante Pentecosten, apud Latiniacum; et nihil inde mihi remandastis. Quamobrem mando vobis ut mihi per hunc nuncium mandetis, si prefatâ die Latiniaco veneritis, ut et ego illuc vobis obviàm pergam, si venire volueritis.*

**Nr. 17, RHGF vol. 15, p.490**

*SUGERIO, Dei gratiâ abbati S. Dionysii, amico suo carissimo, Theobaldus Blesensis Comes, salutem et benedictionem. NOTUM vobis fieri volo, me iturum ad præsens in partes Carnotensium. Quamobrem mando vobis ut mittatis Balduinum de Corboilo mihi obviàm in die anni novi apud Rosetum, qui mecum erit; et in die veneris crastinâ jacebo apud Corboilum. Et rogo vos ut prædictâ die veneris **apud Corboilum obviàm mihi veniatis, ut vos ibi videam, et loquar vobiscum.** Valete.*

**Nr. 53, RHGF vol. 15, p.502**

**Et quoniam ad vestram fidelitatem præcipue respicit honor coronæ nostræ, atque totius regni nostri defensio, strenuitatem vestram attentiori prece rogamus ut de custodiendo regno nostro attentam diligentiam habeatis, ne quid pravorum malignitas contra coronam nostram interim valeat machinari.**

**Nr. 73, RHGF vol. 15, p.511**

*SUGERIO, Dei gratiâ abbati S. Dionysii, amico suo carissimo, Theobaldus Blesensis Comes, salutem et dilectionem. NOTUM vobis fieri volo, quòd Reginaldus de Cortiniaco maximum dedecus intulit Regi et vobis, qui custos estis terræ ipsius: nam mercatores Regis, qui pedagica sua Aurelianis, et apud Senonas, et in terra Regis omnes consuetudines suas dederant, cepit, et sua eis abstulit. Quamobrem mando vobis, ut ei ex parte Regi et vestra mandetis, ut mercatores Regis cum rebus suis ex toto deliberet et reddat. Quod si facere noluerit, si ultionem de eo accipere volueritis, et super eum cum exercitu ire, mandate mihi, et ego ero vobis in auxilium, ad ultionem de eo accipiendam.*

**Nr. 21, RHGF vol. 15, p.491**

*DOMINO suo et amico Sugerio, Dei gratiâ S. Dionysii abbati, I. Nivernensis Comitissa, salutem et obsequium. NON latet prudentiam vestram, me in vestra custodia remansisse. Dominus enim meus in servitio Dei et Regis est, ad cuius injuriam, si mihi vel hominibus qui ad tuitionem viri mei pertinent, aliquis malefecerit, spectat. Siquidem unus de civitate Autissiodorensi super quibusdam hominibus Stampensibus conqueritur, Gaufredo Crasso et Radulfo fratre ipsius, qui ei debent decem libras et dimidiam Aurelianensis monetæ, et nolunt reddere: quam etiam pecuniam cùm dominus Rex jussisset redi, contempserunt. Unde vos rogo sicut dominum meum, ut eam restitui faciatis. Super quo quid facturus sitis, remandate mihi. Hujus autem pecuniæ fidejussores sunt Harduinus, Felperius et Jachelinus.*

**Nr. 77, RHGF vol. 15, p.512**

*VENERABILI abbatи S. Dionysii Sugerio, T. Flandrensis Comes, salutem et integrام dilectionem. JAMPRIDEM ad vos venissem, et super me, quæ à me requisiistis vobiscum contulisseм, si non negotiis propriis, et præcipuè ut creditoribus meis debitum solverem, occupatus fuisseм. Porrò qualis animi dominus Robertus frater Regis erga dominum meum Regem Franciæ in itinere peregrinationis extiterit, aliorum relationi credite. Cæterūм dico vobis et mando, quòd dominus Robertus ante redditum suum à Rege ad negotia Regis Nazareth venire vocatus, omnino se absentavit, neque, ut mihi et reliquis Principibus videbatur à domino meo fraterno et bono animo recessit. Proinde, sicut prudentiam et sanctitatem vestram decet, urbes et munitiones vobis commissas salvâ fide Regi Franciæ conserve; et si quid vobis adversitatis occurrerit, me adjutore et in virtute Dei propugnatore viriliter resistite. Itaque, si quando vobis placet ut ad vos veniam, et de negotiis terræ vobis commissæ conferam, securè me vocate, et utrūм cum paucis an cum pluribus venire debeam, mihi mandate. Paratus sum enim in omnibus terram ad honorem domini mei Regis defendere, et nulla pericula et labores, ut ei fideliter serviam, subterfugere. Valete.*

Nr. 7, Suger, *Oeuvres* vol. 2, pp.41-43

Venerabili, Dei gratia Remensi archiepiscopo, Samsoni, Sugerius, Beati Dionysii abbas, salutem et dilectionem.

**Cum gloria corporis Christi, videlicet Ecclesiae Dei, regni et sacerdotii indissolubili unitate consistat, constat profecto quia qui alteri providet, alteri suffragatur, quoniam et temporale regnum per Ecclesiam Dei stare, et Ecclesiam Dei per temporale regnum proficere, omnibus discretis evidenter ostenditur.**

Eapropter, quia charissimi domini nostri regis Francorum Ludovici longa peregrinationis absentia perversorum tergiversationibus et molestiis regum graviter moveri videmus, et cum regno Ecclesiam Dei gravius turbari formidamus et cito consulto opus est, tanquam preciosam de capite corona regni gemmam vos obsecramus, invitamus et, per eam quae inter nos et vos est invicem fidem vestram atque nostram, et qua regno astricti estis, vos submonemus quatinus cum suffraganeis vestris, dominica praecedente Rogationes, Suessionis nobiscum conveniatis. Convocavimus enim eodem termino et loco archiepiscopos et episcopos, atque altiores regni optimates, ut secundum fidelitatis nostrae et sacramenti professionem qua regno obligati sumus regno et Ecclesiae Dei consulte provideamus, et alter alterius onus invicem subportemus, et pro domo Israël murum nos opponamus; quia, nisi de illa constanter reperiamur, de qua legitur *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una*, et Ecclesia Dei periclitabitur et *regnum in seipsum divisum omnino desolabitur*.

Nr. 8, Suger, *Oeuvres*, vol.2, pp.43-45

Karissimo domino et patri, Dei gratia summo et universalii pontifici, Eugenio, Sugerius, Beati Dionysii abbas, obedientiae et servitii plentitudinem.

Pro sororibus apud Fontem Ebraldi in sancta et Deo acceptabili religione degentibus, quas episcopus Pictavensis, subjectionem ab eis requirens, earumque abbatissam benedicere nolens, defatigat, sancti apostolatus vestri celsitudinem qua possumus prece pulsamus, ut sicut vestrae incumbit discretioni imbecilliatem debelium confovendo sustinere, quid unicuique expediatur providere, fragilitati sexus condescendatis, et quia vestra auctoritate innituntur, eas sub vestra protectione retineatis, nec alteri subjici velitis et ab defatigatione eas in pace esse faciatis. Novit enim vestra discretio quod animabus earum non expedit claustra monasterii sui exire nec hac occasione vel alia saeculo se jungere. Nostis enim, si vestrae placet Paternitati, quod praefatus episcopus sujectos suos consuevit inquietare. **Placeat igitur Excellentiae vestrae ab his molestiis eas eripere et, ut in pace Deo deserviant, eis in multitudine misericordiae vestrae providere, sub protectione Dei coeli et vestra apostolica auctoritate confovare et protegere:** utpote tantum tantae religionis locum, quem cum in partibus illis in scholis essemus noviter incoepum esse vidimus, et per Dei voluntatem fere ad quatuor aut quinque millia sanctimonialium jam excrevisse audivimus et gaudemus.

**Nr. 82, RHGF vol. 15, p.514**

**Ex mandato domini nostri Romani Pontificis oportuit nos descendere pro causa domini Bituricensis usque Lemovicas. Inde verò pro necessitate ecclesiæ Fontis-Ebraldi usque ad illam descendimus. Pictavis itaque invenit nos lator præsentium nuncius vester, ubi propter negotia terræ moram facere nos oportuit.**

**Nr. 355, PL 180, col. 1394-95**

Eugenius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus II. Suessionensi archiepisco, ejusque suffraganeis, salutem et apostolicam benedictionem.

**Quanta devotione charissimus filius noster Ludovicus illustris Francorum rex Hierosolymitanum iter assumpserit, vos corporali præsentia cognovistis, et maximam orbis partem non latuit qui regnum suum sub sanctæ Ecclesiæ ac nostra protectione reliquit: et tam nos, quam vos, ut illud a pravorum infestatione tueremur, suppliciter exoravit. Accepimus autem, quod quidam pacem regni diabolico instinctu perturbant, ipsumque, postposita Dei et hominum reverentia, malitiose infestant, non attendentes quod item rex pius tollens crucem suam secutus est Christum, et relicta patria et regno, ad loca ubi steterunt pedes Domini, pro defensione Christianæ fidei festinavit. Quod tanto gravius ferimus, quanto personam ejus propensiōri affectu diligimus, ipsumque in remotis partibus devotius pro Dei servitio demorari congnoscimus. Quia vero tam devoti sanctæ Ecclesiæ filii, et Christianissimi principis auxilio deesse non possumus, nec debemus, per præsentia vobis scripta mandamus, quatenus in unum convenientes, perturbatores regni ad vestram præsentiam evocetis, ipsosque districte ac sollicite monætis, ut ab infestatione regni omnino desistant, nullamque offenditionem hominibus domini regis inferre præsumant. Si autem vestris monitis obedire contempserint, tam in ipsos quam complices eorum, occasione remota, excommunicationis sententiam proferatis. Præterea cum ab his quibus est custodia regni commissa, vel aliquo illorum fueritis moniti, tanquam pacis ac justitiae amatores, pro fidelitate quam eidem regno debetis, temporale eis auxilium præbeat, eosque ad defensionem ipsius modis omnibus adjuvetis.**

Datum Tusculani, VIII Idus Julii.

**Nr. 356, PL 180, col. 1395-96**

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectio filio SUGERIO abbatи S. Dionysii, salutem et apostolicam benedictionem.

Litteras quas nobis misisti, debita benignitate recepimus, et super adversitatibus et angustiis quas te pati significasti, paterno tibi affectu compatimur. Et quoniam eas pro amore justitiae et fidelitatis charissimi filii nostri Ludovici illustris Francorum regis, te sustinere congnoscimus, ipsas tanquam proprias reputamus. Veramtamen non ignorat tua discretio, quia omnes qui pie volunt in Christo vivere, et pacem diligunt, oportet a filiis hujus sæculi, et ab his qui oderunt pacem, persecutiones innumeræ sustinere. Ipse namque Dominus noster Jesus Christus, non ad gaudia mundi, sed ad passiones et mortem pro nobis tolerandas descendit. Ipsum itaque caput nostrum imitari debemus quia si pro ipso persecutiones patimur, certi de promissione

ipsius, erimus in æterna retributione beati. Confortare igitur, charissime fili, et viriliter age, atque in Domino, qui tibi adjutor est, sperans, non timeas quid tibi faciat homo. Salvator etenim noster juxta promissum suum usque in finem sæculi suos nullatenus derelinquet; et nos, juxta potestatem nobis concessam ab ipso opem tibi et auxilium exhibere curabimus. **Sicut enim ex litteris quas fratribus nostris archiepiscopis et episcopis mittimus, perpendere poteris: illos qui pacem regni perturbant, nisi resipuerint, excommunicari mandavimus;** et tam ipsis, quam comitibus, exhortando mandavimus, ut tibi et aliis, quibus regni est commissa custodia, ad defensionem ipsius viriliter auxiliando assistant. Tui ergo studii sit, quatenus eosdem fratres archiepiscopos et episcopos constituto termino in unum facias convenire, **ut quæ pro utilitate regni agenda fuerint, auxiliante Domino compleantur.**

Datum Tusculani, VIII Idus Julii.

**Nr. 85, RHGF, vol. 15, p.516**

Supplicamus, et quâ possumus prece pulsamus, quatinus inter eum et praedictum Hugonem, et alios adversarios ejus, treugam usque ad Adventum Domini accipiatis; et sciatis quia magnum servitium nobis exhibebitis in negotio isto. **Dominus autem Papa nobis pro certo mandavit quia dominus Rex (Deo gratias) ad citeriores partes applicuit.**

**Nr. 84, RHGF vol. 15, p.515**

Perlectæ quoque fuerunt in medium et à nobis **expositæ illi literæ domini Papæ, in quibus continebatur sententia excommunicationis in ipsum et in totam terram suam, nisi ab inquietatione terræ Regis desisteret.**

**Nr. 376, Bernard of Clairvaux, Sancti Bernardi Opera, vol. 8, pp.339-40**

Venerabili patri et domino Sugerio, Dei gratia abbatи Sancti Dionysii, frater Bernardus, Claraevallis vocatus abbas: salutem et orationes.

**NUNC tempus et opus est ut apprehendatis GLADIUM SPIRITUS, QUOD EST VERBUM DEI, contra diabolica figmenta, quae regerminare iterum moliuntur. Homines namque illi, qui reversi sunt, maledictas illas nundinas post festa paschalia prae fixerunt et statuerunt, laxatis habenis, dominus Henricus filius Comitis, et dominus Robertus frater Regis, ut irruant et interficiant semetipsos. Animadvertisse quali voluntate viam Ierosolymitanam aggressi sunt, qui cum voluntate huiusmodi regressi sunt. Quam recte dici potest de istis: CURAVIMUS BABYLONEM, ET NON EST SANATA; PERCUSSI SUNT, ET NON DOLUERUNT; ATTRITI SUNT, ET RENUERUNT SUSCIPERE DISCIPLINAM. Post tot labores, post tanta pericula, quibus VEXATI SUNT A TRIBULATIONE MALORUM ET DOLORE, regnum in pace est et dominus Rex abest; et per hos duos potest terra singulariter commoveri, sed et perturbari. Supplico et consulo sublimitati vestrae, quia maximus princeps estis in regno, ut vel dissuasione, vel vi, totis vos viribus opponatis, ne fiat hoc, quia sic convenit honori personae vestrae, et terrae vestrae, et utilitati Ecclesiae Dei. Vim autem appollo, quod ad ecclesiasticam pertinet disciplinam. Nos autem idem scribimus domino Remensi, domino Senonensi, domino**

Suessionensi, domino Autessiodorensi, comiti Theobaldo, comiti Rodulfo. Opponite vos tantis malis, et propter dominum Regem, et propter dominum Papam, ad quem pertinet custodia regni.

**Nr. 72, RHGF vol. 15, p.511**

*SUGERIO, venerabili abbatи S. Dionysii, Henricus Comitis Theobaldi filius, salutem. FORSITAN non præteriit cognitionem vestram, Reinaldum Pomponiensem, hominem vestrum, Ansericum Montis-regalis in hoc tornamento cepisse. Unde dilectionem vestram exoro, quatinus ab instanti die dominico in octo dies ad me vestrī gratiā Meldis venire non gravemini. Scio enim vos amicum meum fidelissimum esse, et in hoc præsenti negotio plus omnibus illis quos noverim, tam dilectione quam vos erga me habere existimo, quām expertā discretione vestrā mihi valere posse. Et ideo prudenti consilio vestro de prædicto Anserico cum domino Reinaldo, loco et tempore constituto, finere desidero.*

**Nr. 377, Bernard of Clairvaux, *Sancti Bernardi Opera*, vol. 8, pp.340-41**

Carissimo patri et domino Sugerio, Dei gratia Beati Dionysii abbatи, frater Bernardus, Claravallensis vocatus abbas: spiritum consilii et consolationis.

1. VISIS quibusdam litteris vestris, quas ad dominum Turonensem direxerat sublimitas vestra, EXSULTAVIMUS ET DELECTATI SUMUS, non qualicumque gaudio, sed GAUDIO MAGNO VALDE. Visitet vos Oriens ex alto, qui visitare disponitis regnum gloriosissimi Regis nostri, ut sic respirare possit A TRIBULATIONE MALORUM ET DOLORE, quae iam in ianuis est, si non fuerit totis viribus contradictum. Profecto consilium Dei fuit ut ad consilium tam curiae quam Ecclesiae principes vocaretis, ut SCIANT OMNES QUI HABITANT TERRAM quia remansit et regno, et Regi amicus dulcis, consiliarius prudens, ADIUTOR FORTIS. Illi, inquam, Regi, qui servit Regi, cuius REGNUM EST OMNIUM SAECULORUM, qui commovit gentes et regna, ne Rex caeli perderet terram suam, terram UBI STETERUNT PEDES EIUS. Illi, inquam, Regi qui, cum esset gloria singularis, rebus affluens, pace securus, victoriosus in proeliis, iuvenis aetate, elegit exsulare a propriis, ut serviret in alienis, illi tamen cui servire regnare est. Et quis est qui audeat turbare regnum eius? Quis tantam impietatem committat ADVERSUS DOMINUM ET ADVERSUS CHRISTUM EIUS? Domine mi Rex, UTINAM ABSCINDANTUR, QUI te CONTURBANT, QUI QUAERUNT MALA et tibi et tuis, cum tu inter alienas gentes solus remanseris, ne remaneret in solitudine locus ille, quem elegit Dominus ex omnibus locis terrarum, ut esset nomen suum ibi.
2. Propterea VIRILITER AGITE ET CONFORTETUR COR VESTRUM, quia vobiscum est Dominus Deus vester in protectione Regis et exsulis sui, qui imperabit ventis et mari, tumentes fluctus facile complanabit. Erit vobiscum universitas Ecclesiae Dei, ne insurgat aliquis et peccare faciat Israel, et totis humeris totum onus, si quid tamen oneris fuerit, supportabit. Nunc enim tempus et opus est ut agatis pro loco quem tenetis, pro dignitate qua polletis, pro potestate quam accepistis, ut

**memoria vestra non solum in benedictione, sed in admiratione sit GENERATIONI huic OMNI QUAE VENTURA EST.** Providendum est, et multum providendum, ne tanta portio Ecclesiae Dei sine fructu maximo fatigetur, et hic statuendum quod omnes insurgentium malignitates vel reddere vel elidere possit. In voluntate nostra est ut vobis, in nomine Domini congregatis, parvitatis nostrae litteras transmittamus, quae, etsi non adiuvent, saltem affectum nostrum ostendant. Illi autem qui vobis dedit hanc voluntatem, donet et facultatem et CONTERAT SATANAM SUB PEDIBUS VESTRIS, ut in opere isto **glorificetur Deus, honoretur Ecclesia, regnum stabilietur et obstruatur os loquentium et faciantium iniqua.**

**Nr. 6, Suger, *Oeuvres* vol. 2, pp.33-39**

Glorioso, Dei gratia regi Francorum et duci Aquitaniae, Ludovico, charissimo domino nostro, Sugerius, Beati Dionysii abbas, cum toto fratrum sibi grege commisso, orationum devotionem et integrum servitii fidelitatem.

Quantis et quam lacrymosis suspiriis gravissimam personae vestrae nobis absentium prosequamur, quantis et quam devotis orationum postulationibus prosperitatem vestram et salutem, charissime domine, Domino Deo commendemus, explicare nullo modo valemus. **Quae etenim adeo dura mens, quod tam ferreum pectus, quod tam longa et intolerabili tanti et tam piissimi domini non moveatur absentia?** Quae, cum in dolore cooperit, in timore perdurat, defectus horrore terret. Nam quotiens regiae majestatis ingenitam nobilitatem, venerabilem morum industriam, animositatem cum ad omnes tum ad nos praecipue piissimam memoramus, aut ante vos aut vobiscum deficere desideramus. Si enim superessemus, de quanto in quantum mutaremur, nulla alia est comparatio quam si de coelo in abyssum corrueremus. Redeat igitur ad cor ingenitae bonitatis consueta propiciato; et quod etiam belluae naturaliter faciunt, diligentes se diligit, fideles et praecordiales amicos enecare erubescat, ut quos exeundo terrore nimio contrivit, redeundo saltem post tanta pericula, post tantas et innumerabiles diversarum mortium passiones, sufficienti solatio resuscitet. Ut autem totius regni tui tibi voce loquar, quid est, charissime rex et domine, quare nos fugis? Nonne eos qui oderunt te oderam et super inimicos tuos tabescebam?

Qui cum te et nos tuos tanquam te diligere deberes, quod neutrum videris diligere magis dolemus. **Siquidem cum in Orientis partibus acerrime laboraveris multa et pene intolerabilia mala sustinueris, post redditum baronum et optimatum regni, qua duritia vel potius crudelitate inter barbaros remanere praesumpsisti?** Redierunt regni perturbatores; et tu qui defendere deberes quasi captivatus exulas; ovem lupo tradidisti, regnum raptoribus exposuisti. Rogamus igitur celsitudinem tuam, pulsamus pietatem, adjuramus benignitatem, et per eam qua invicem obligati sumus fidem obtestamur ne post transitum Paschae ibi vel modicum demoreris, ne reus professionis et juramenti quod in susceptione coronae regno fecisti in oculis Dei appareas. Nos autem sicut angelum Dei vos expectantes, ubicunque si necesse fuerit procedere, necessaria quaeque praeparare parati erimus. Conservet Rex regum et Dominus dominorum personae vestrae incolumitatem sibi et nobis.

Pecuniam quam vobis mittere disposueramus, secundum praeceptum vestrum fratribus Templi deliberavimus. Similiter et comes R. quicquid vobis accommodaverat, tria scilicet milia librarum, exceptis ducentis, in plenitudinem accepit.

Terra vestra et homines bona pace, Deo opitulante, gratulantur. **Causas et placita vestra, tallias et feodorum revelationes, victualia etiam, sperantes in redditio vestro, reservamus; domos vestras et palatia integra servare, diruta reparare facimus; solo domino egent. Senex eram sed in his magis consenui, pro quibus omnibus nulla cupiditate, nullo penitus modo nisi amore Dei et vestro me consumpsisse.**

De reginia conjugе vestra audemus vobis laudare, si tamen placet, quatinus rancorem animi vestri, si est, operiatis, donec Deo volente ad proprium reversus regnum et super his et super allis provideatis.

#### **Nr. 66, RHGF vol. 15, p.508**

Verumtamen, quia nos usque in Pascha redditum nostrum post Principes nostros distulimus, et pravorum hominum machinamenta formidamus, specialiter superduximus modò vobis scribendum: ut interim super omnia, quoniam principaliter ad vos respicit cura atque custodia regni, in eo custodiendo attentiùs insistatis, et **universos malignorum conatus, si quid contra coronam nostram machineri tentaverint**, solitâ vestrâ cautelâ prorsus evacuetis.

#### **Nr. 96, RHGF vol. 15, pp.518-19, here p.519**

**De regno enim nostro quamplures rumores accipientes, et certitudinem inde nescientes, à vobis descere volumus quomodo erga quemcumque nos habere debeamus vel continere; et hoc tam secretò fiat, ut quod in præsenti scripto continetur, nemo nisi vestra persona cognoscat.**

#### **Simon Chèvre d'Or, 'Epitaphe de Suger', Oeuvres vol. 2, p.377**

Dumque moras ageret rex trans mare pluribus annis,

Praefuit hic regno regis agendo vices.

Quae dum vix alius potuit sibi jungere junxit,

#### **La chronique de Morigny (1095-1152), ed. L. Mirot (Paris, 1909), p.84**

Rex autem volens tutelam regni sapienti consilio disponere, congregare fecit apud Stampas Francie primores, ibique ipsius regni provisionem Suggerio, abbatii Sancti Dyonisii commisit, **viro in secularium causarum dispensacione nulli secondo**, titulo eciam sciencie litteralis preclaro, Radulfo etiam Viromendensium comiti, consanguineo suo.

**Nr. 5, PL 180, col. 1618-19**

Dilectissimo in Christo Patri EUGENIO sanctæ Romanæ Ecclesiae summo pontifici, HENRICUS Dei gratia junior Romanorum rex, filius magni Conradi inclyti triumphatoris, Romanorum regis et semper Augusti, filiale per omnia dilectionem et debitam in Domino reverentiam.

Charissimus pater noster catholicæ fidei cultor a nobis et a regno suo discedens, nobis hæc suprema et memoriae arctius impressa mandata dedit, ut personam vestram summo dilectionis affectu amplecteremur, ut sacrosantam matrem nostram Romanam Ecclesiam præcipua diligentia coleremus, et res ipsius tueri ac defensare, ubicunque se opportunitas offeret, non negligeremus. Quæ piissima religiosi genitoris nostri monita non surda aure, nec pigra cordis intentione suscipientes, ad effectum ea perducere sollicita devotione curavimus; sic de cætero intenti, ut crescente in nobis per divinam indulgentiam ætate et sapientia, cuncta in melius augere et complere studeamus. Morem regni nobis a Deo collati vestram prudentiam ignorare non credimus, in eo videlicet, quod Moguntinus archiepiscopus ex antiquo suæ Ecclesiæ et dignitatis privilegio, **sub absentia principis custos regni et procurator esse dignoscitur**, quæ priscorum instituta regum gloris genitor noster, ut in cæteris, secutus, nostram ætatem et regni gubernationem reverendo Patri nostro Henrico Moguntino archiepiscopo, omnium principum favente conniventia, magna cum attentione commisit. **Quantum vero ejusdem venerabilis archiepiscopi absentia toti regno et personæ nostræ incommoda sit**, optime novit intelligentia vestra, cui mores Galliæ Belgicæ, quae sceptris nostris ex majori parte subdita est, et totius Germaniae ignoti non sunt. Inde factum est ut tempore synodi vestræ, quam in Remensi civitate, divina favente clementia, ad totius sanctæ Ecclesiæ incrementum celebrastis, ad vestræ sanctitatis præsentiam venire idem archiepiscopus non posset, quoniam alterius regni fines tutus ingredi non potuit, et nostras res, quæ quanto sunt per Dei misericordiam majores, tanto sunt ad regendum difficiliores, relinquere, nobis cum consilio multorum principum renitentibus, salva fide et honestate sua, non valuit. Verum, quoniam frequenti vocatione vestræ commonitus, ad vestræ celsitudinis præsentiam transire nunc festinabat, nos in præterita Nativitate beatæ Mariæ curiam, Deo auctore, in oppido Franckenevort celebravimus, ubi congregata principum nostrorum frequentia, tam de ipsius archiepiscopi absentia, quam de securo ad vos transitu sub prolixa deliberationis mora tractavimus. Eum itaque ad vestræ sublimitatis præsentiam contra nostram et totius regni utilitatem impræsentiarum proficiscentem, filiali et affectuosa commendatione prosequimur, orantes intime piissimam et in bonis expertam nobis paternitatem vestram, quatenus eum benigne suscipiatis et honeste petitionis nostræ intuitu habitum, ad nos cum gaudio ipsum vestra benedictionis gratia communatum in brevi remittatis.

**Nr. 90, Bibliotheca Rerum Germanicarum, vol. 1, pp.163-64, p.163**

**Si autem haec mandata nostra neglexeris, omni honore** à nobis tibi collato et adhuc tibi conferendo **inerciam tuam privabimus** nec amodo filium nostrum dilectum te iudicabimus.

Nr. 103, *Bibliotheca Rerum Germanicarum*, vol. 1, pp. 177-80, here p.178

Videbamus itaque non lupum unum venientem, nisi forte totam demonum phalangem unum lupum intelligamus, set **multorum luporum innumerabiles exercitus**, qui **ad devorandam Stabulensem aeccliam et magnam partem Lotharingiae efferata rabie** inhiaverant.

Nr. 103, *Bibliotheca Rerum Germanicarum*, vol. 1, here p.179

Heae sunt angustiae, **haec sunt bella, haec incendia, haec caedes, haec rapinae, quae Corbeiensem circumvallaverunt aeccliam.**

Nr. 104, *Bibliotheca Rerum Germanicarum*, vol. 1, pp.180-82, here p.180

Ab exitu nostro á synodo Remensi remorati sumus in Stabulensi monasterio propter **multas et varias dissensiones et pressuras, quae sunt in terra**, ac Domino cooperante nostrosque conatus confirmante, **in omnibus fere locis circumiacentibus quantulamcunque pacem composuimus**, versus Corbeiam in proximo transire cupientes.

Nr. 106, *Bibliotheca Rerum Germanicarum*, vol. 1, pp.182-83, here p.183

**...ut eidem curiae interesse non renuas, et ad reformatum regni statum et pacem firmandum consilio et auxilio nobis assistas. Et quoniam omnia negotia tam privata quam publica per te ordinare desideramus, et ut in eadem curia nos et negotia nostra manuteneas, expetimus.**

Nr. 180, *Bibliotheca Rerum Germanicarum*, vol. 1, p.301

Conquerimur autem serenitati vestrae, quod Mindensis episcopus plurimum nos gravat et hactenus impedivit de his rebus, quas Corbeiensi aeccliae attribuistis, Kaminatam videlicet et Visbick. Et in Kaminata quidem, ubi fratres nostros iussu vestro ordinaverimus, divinum officium celebrari prohibuit; de cuius possessionibus medium fere partem amisimus. In loco vero Visbick nunquam intravimus, nec passum pedis de tota possessione ibi pertinente adhuc obtinuimus, prohibente hoc Mindensi episcopo et comite Adulfo de Scowenborch; ubi etiam ipse Mindensis episcopus res monasterii per fratres Cappenbergenses ordinavit. Pro qua re Corbeienses, qui vobis de pecunia iuraverant, solvere, tota aecclia reclamante, non potuerunt. Quantas vero adversitates et quantas expensas pro eisdem locis sustinuerimus, plenius suo tempore, vestrae clementiae genibus affusi, referemus. Et nunc, quantum vestra maiestas dignabitur et quantum nostra **mediocritas** sustinere valet, de statu vestro et regni nobis, fidelibus vestris, significare non abnuatis. Victorem vos et incolumem conservet omnipotens Dominus.

Chapter Five: Crusade Regencies in Flanders and Champagne, 1145-77

**Nr. 35, De Oorkonden, pp.68-69**

**Ego Theodericus, Dei gratia comes Flandrię, omnibus Sancte Ecclesię filiis. Notum facio tam presentibus quam futuris quod ego cum uxore mea Sibilia dedi novam terram quę usque ad hanc diem de palude facta est, quę iacet inter Watinensem ecclesiam et Broburg, cum omni decimatione ad eandem terram pertinente et omnem decimationem quę exibit de terra, si qua adhuc de eadem palude fiet, ecclesię Sanctę Marię de Brubburg, ad usus sanctimonialium ibidem Deo servientium.**

**Nr. 38, De Oorkonden, p.73**

**Hanc pacem quicunque non servaverint, extra consortium Sanctae Ecclesiae suntote. Homicidia extremo suppicio; vulnera talione, aut bonorum commissione, aut duello puniuntor.<sup>3</sup>**

**Latrones furesque nocturni, ubicunque reperiantur, a tota vicinia occiduntur.<sup>4</sup>**

**Hos qui persequi de nocte detrectasset, LX solidos multator<sup>5</sup>.**

**DEL, p.56**

**Inter hos tot linguarum populos firmissima concordię atque amicitię pignora; insuper leges severissimas sanxerunt, ut mortuum pro mortuo, dentem pro dente. Pretiosarum vestium omnimodum apparatum interdixerunt. Ne item mulieres in publico prodirent. Pacem servandam omnibus nisi ex indicto iniurias.**

**Nr. 39, De Oorkonden, p.74**

Theodericus comes Flandrie et Sibylla uxor eius, comitissa, omnibus christiane fidei cultoribus quo nichil expetibilius est, eterne vite commodum. Nostri temporis hominibus et futuris his litteris notificamus quod Robertus Freso comes Flandrensis Deo et Sancto Petro de Lehun et monachis Deo et beato Petro ibidem servientibus huiusmodi elemosinam donavit et singulis annis reddendam constituit quod: quicumque feodum de Rinegges tenuerit, uno quoque anno perpetualiter tria pondera padelengorum predictis monachis reddat et ei monacho sive clienti qui pro ipsis palengis recipiendis venerit procurationem de suo proprio provideat; quod si palengi eventu aliquo aut non capientur aut non invenientur pro unoquoque pondere palengorum XX<sup>ti</sup> solidi, ab eo foedum de Rinegges possederit, prefatis monachis persolvantur.

Hanc autem elemosinam Roberti comitis, Rotbertus filius eius comes, Baldwinus etiam filius Rotberti minoris et Karlus comes, Willelmus quoque Normannigena, devote et alacriter concesserunt.

---

<sup>3</sup> Read as puniuntur.

<sup>4</sup> Read as occiduntur.

<sup>5</sup> Read as multatur

**Ego quoque Theodericus et uxor mea Sibylla, comitissa, hanc eandem elemosinam reddentes omni tempore vite nostre nostram facimus.**

Et ut successorum nostrorum temporibus rata perseveret et inconcussa impressione sigilli nostri et auctoritate firmamus imperpetuum et roboramus.

**Nr. 45, De Oorkonden, p.81**

**...filia Fulconis regis Iherosolimitani...**

**Nr. 47, De Oorkonden, pp.84-85**

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.

Notum sit tam presentibus quam posteris quod ego Sibilla, Dei gratia Flandrię comitissa, concambium de terra Gisleberti filii Berewardi quam ecclesia Sanctę Marię de Dunis possedit, pro terra Herrembaldi Crummin, ut elemosinis peccata mea redimerem, ovanter benigne et libere concessi.

Huius rei testes sunt: Rogerus prepositus Brugenensis; Frumaldus iuvenus; magister Everardus Casletensis; Gislebertus castellanus Bergensis; Anselmus castellanus Yprensis; Christianus castellanus de Dicasmuda; Theodericus camerarius; Arnaldus camerarius.

**Ego Milo, Dei gratia Teruanenis episcopus, excommunico omnes qui hac datione iniuriam fecerint ecclesię Sanctę Marię de Dunis, nisi ad satisfactionem venerint.**

**Nr. 48, De Oorkonden, pp.85-86**

**Ego Sibilla, Dei gratia Flandrenium comitissa, eiusdemque inspiratione sanctarum ecclesiarum quieti et paci cooperatrix devota, omni studio prospicere cupio, ne Aquiscinctensis ecclesia de terris aut redditibus ei a Waltero Formosellensi in villa Amerin collatis, ullam in posterum iniustitiam aut vexationem a quoquam hominum patiatur.** Notum igitur sit omnibus fidelibus tam futuris quam presentibus, quod, congregatis in Brugensi castro baronibus Flandrię abbatे quoque Aquiscinctensi domno Gozuno cum monachis quampluribus eiusdem ecclesię presente, Walterus de Formosella totum allodium suum quod in memorata villa Amerin cum fratribus et sororibus suis possederat, sive in terris sive in sive in pratis sive in redditibus sive in hominibus casatis sive in decimis sive in silvis sivi in omni omnino re, per manum meam Aquiscinctensi ecclesię contradidit, annuentibus eisdem fratribus suis Adam, Willelmo, Johanne, Isaac, Gozuno et sororibus Bertha, Mabilia, a quibus huius rei assensum idem Walterus aliarum rerum data commutatione impetraverat. Quo facto, tam idem Walterus quam omnes fratres et sorores eius prefatum allodium guerpiverunt et abiuraverunt, data scilicet fide spondentes et iure iurando confirmantes, nunquam se amplius pro hac causa ecclesiam Aquiscinctensem iniuriaturos aut quolibet modo vexaturos, quinetiam si a quoquam, quod absit, pro huiusmodi causa iniuriam sustineret, ipsum Walterum contra omnem reclamantem predictum allodium iuri Aquiscinctensis ecclesię defensaturum.

Ut ergo hoc perpetuo stabilitum permaneat, sigilli mei impressione et subtersignatorum testimonio confirmatum est: Rogeri prepositi Brugensis; Frumaldi Brugensis; Fulconis cancellarii; Ivani Gandensis; Henrici castellani de Brobure; Willelmi de Bonleirs; Stepponis; Theoderici camerarii; Thiethbaldi dapiferi; Balduini Botel; Lambini de Vuingin; Walteri de Sobringhem; Ernulfii de Dringehem; Balduini Canis; Bruneli de Halevuin; Balduini de Douia; Roberti Pulian; Hugelini; Lamberti de Ridesfort.

Actum est hoc anno incarnati Verbi M<sup>o</sup> C<sup>o</sup> XX<sup>o</sup>X V II<sup>o</sup>II.

#### Nr. 49, De Oorkonden, p.87

In nomine sancte et individue Trinitatis.

Ego Sibilla, Dei miseratione Flandrie comitissa, notum fieri volo tam futuris quam presentibus Ywainum de Gandavo duas partes decime tocius parrochye de Houthem, quas hereditario iure quiete possidebat, **coram baronibus meis et universa curia meo assensu libere reddidisse et concessisse ecclesie Sancti Nicolai de Furnis et canonicis ibidem Deo regulariter servituris. Ad quod donum ego eciam manum apposui et sigilli mei munitione confirmavi.**

Hii sunt testes: Rogerus prepositus; Leonius de Brucsellae; Razo de Gavera; Steppo de Poca; Gozwinus de Odighem; Rotholf castellanus de Brugis; Anselmus castellanus de Ypra; Theodericus de Bevera; Cristianus castellanus de Dicasmutha.

Actum anno incarnationis Christi M<sup>o</sup> C<sup>o</sup> XX<sup>o</sup> X IX<sup>o</sup>.

#### Nr. 63, De Oorkonden, pp.106-8, p.107

Ego Theodericus, Dei gratia comes Fland(rie), **optans et sperans Sanctorum Locorum visitatione proficere**, Ierosolimam profectus sum, terram meam liberamque in ea et de ea disponendi potestatem Sibille uxori et Balduino filio meo derelinquens.

#### Nr. 91, De Oorkonden, p.151

Quoniam generationum decessione ac successione rerum gestarum memoria interit, litterarum apicibus, quibus nil memorie fidelius servit, tam presentibus quam futuris memorandum relinquere congruum duximus, quia ego Theodericus, **divina permissione Flandrenium comes, cum gloriose Francorum rege Lodevico Iherosolimam profecturus, Helmaro Yprensis ecclesie venerabili preposito, quecumque predecessores eius a predecessoribus meis iura sive consuetudines, tam in scabinatu quam in ceteris, omni exactione exclusa tenuerunt, ob remedium anime mee et uxoris mee Sibilie concessi.**

#### Nr. 92, De Oorkonden, p.152

**...manu propria donavi, Balduinumque filium meum, una tecum dare feci.**

**Nr. 94, De Oorkonden, pp.155-56, p.155**

In nomine Domini.

Ego Theodericus, divina miseratione comes Flandrie, notum esse volo tam futuris quam presentibus quod Walterus de Stoppelvelda totam hereditatem suam, quam possedit in parrochia de Thurhold, et feodum quod a nobis tenuit in parrochiis de Sedelengem et Odenborc, **cum nostra voluntate et assensu, per manus meas et Balduini filii mei,** legitime dedit sanctę Ehamensi ecclesię pro anima sua et parentum suorum. Quisquis ergo hanc tam legitimam donationem infringere vel prefatę ecclesię de ea iniuriam aliquatenus facere presumpserit, michi vel heredi meo XXX libras persolvet.

Actum est hoc anno dominicę incarnationis M<sup>o</sup> C<sup>o</sup> XL<sup>o</sup> VI<sup>o</sup>, **coram idoneis testibus, quorum hec sunt nomina: Sibilla comitissa; Balduinus filius eius;** Rogerus prepositus Brugensis; Eustachius camerarius; Giselbertus dapifer; Walterus filius Eustachii; Balduinus de Riningem; Eustachius de Furnis; Arnulfus breviator, et alii plures.

**Nr. 110, De Oorkonden, pp.178-79**

In nomine sancte et individue Trinitatis.

Notum sit omnibus christianis clericis et laycis quod **ego Sibilla Flandrensis comitissa et Balduinus filius meus, terram unam ecclesię Sancti Martini de Fiua iacentem ad Albeccam, pro salute animarum nostrarum et antecessorum nostrorum,** a silvagio videlicet III<sup>or</sup> solidis et dimidio liberam dimittimus.

Anno est anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo quadragesimo septimo.

Testes sunt huius rei: Rogerus Brugensis prepositus; Herbrannus Sancti Amandi prepositus; Karolus eiusdem ecclesię monachus; Rogerus Curtracensis castellanus; Gervasius de Prato; Arnulfus de Orscamp; Lambinus de Winginis; Applonius de Curtraco.

**Nr. 111, De Oorkonden, pp.179-82**

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Ego Sibilla comitissa quoniam quidem precedentes mortales et eorum iusta et honesta dicta vel facta posteris imitanda et pro lege observanda, mors quasi non fuerint dispensatione Dei abscondit, ideo nos quod in ecclesia et pro ecclesia Beati Vedasti iuste et honeste agere Deo donante studuimus, posteris nostris scripto mandare observandum, estimavimus iustum et honestum. **Karissimo itaque domino et marito meo venerabili Flandrensi comite Theoderico et domino Alviso Atrebensi episcopo in Iherosolimitano exercitu Dei cum laudabili rege Francie Ludovico profectis, ego Sibilla cum filio Balduino iam in comitem designato** de totius gubernatione comitatus sollicita et ecclesiarum Dei negotiis et paci preceptiva petitione domini mei precipue intenta, cum decenti comitatu Atrebatum perveni et perveniens ecclesiam Beati Vedasti miserabiliter aggravari a quodam milite suo Helvino causa detestabili multis referentibus audivi et merito dolui. Quapropter curia baronum meorum et ecclesie virorum cum abbe Guerrico boni testimonii viro in camera eiusdem

abbatis convocata, presentibus etiam honestis Atrebatensibus archidiaconis dominis Luca et Hugone et religiosis abbatibus Hugone de Monte Sanctii Eligii et Simone abate de Agilcurte, Helvinum predictum dulciter palam omnibus ammonui ut ab ecclesie cuius homo legius erat cessaret iniusta infestatione. Ipse vero rediens a consilio potius ab ecclesia sibi inferri conquestus est iniustitiam quia sui iuris et feodi esset, ut quoscumque mercatores iureiurando probare audiret Sancti Vedasti esse homines censuales, ab omni eos theloneo quod utique est Sancti Vedasti liberaret. Abbas vero et monachi iuste conquerebantur per hoc sibi dampnum de theloneo inferre maximum, quia innumerabiles eundem latenter Helvinum multis corrumpebant servitiis, et eorum tutor super hoc esset sacrilegio, quia non servi essent sancti Vedasti sed sub nomine servitutis cum Iuda vellent esse fures et sacrilegi, et quia predictus Helvinus nullum iureiurando, sed quilibet origine sua legitime producta probare deberet, se ipsum servum sancti esse Vedasti.

Ego autem quia iam audieram causam istam in presentia gloriosi comitis Karoli contra Ingelbertum predicti patrem Helvini agitatam, et agitationis ordinem scripto privilegio ecclesie commendatum, ab abbe et monachis idem privilegium requisivi. Cito allatum et recitatum et palam omnibus est expositum quod non alias sed predictas inter ecclesiam et Helvinum continet querelas, et easdem a predicti gloriosi comitis Karoli curia tam mirabili, quam laudabili iustissime et honestissime iudicio invincibili terminatas, et ab eodem comite domino Karolo auctoritate principali terminationem earum prout decebat confirmatam.

**Ego igitur Sibilla, Dei gracia Flandrie comitissa, adiuratis baronibus meis, et abbas suis, precepi ut quid abbati et ecclesie, quid Helvino facere deberem studiosissime iudicarent.** Communicato itaque consilio omnes unanimiter per Anselmum de Husdenio nobilem virum et dapiferum nostrum iudicaverunt, etiam si carta non iudicaret que idem iudicabat, scilicet nullum penitus, nisi per seipsum debere conditionem suam probare, et producta legitime et iurante cognoscibili probabiliter progenie, nec ab ullo abbatum legittime nec ab ullo censore sine iniquitate posse agi aliquid contra hoc antiquum et presens et commune ubique iudicium.

Ego Sibilla, Dei gratia Flandriarum comitissa, ex auctoritate karissimi domini et mariti mei honestissimi comitis Theoderici et filii nostri Balduini iam in comitem designati, hoc iudicium confirmavi, et conscripto ne minus credatur, mee sigillum imaginis pro presentia mea apponi precepi, et nomina iudicum pro presentia eorum subiungi decrevi.

S. Balduini pueri, iam in comitem designati. S. Guerrici abbatis ecclesie Sancti Vedasti. S. Hugonis abbatis de Monte Sancti Eligii. S. Simonis abbatis de Agilcurte. S. Luce archidiaconi Atrebatensis. S. Hugonis archidiaconi de Ostrevant. S. Anselmi dapiferi. S. Razonis pincerne de Gavera. S. Theoderici camerarii. S. Michaelis connestabili. S. Gozewini de Odingehem. S. Arnulphi de Orscamp. S. Gualteri castellani de Duaco. S. Gisleberti de Nivella. S. Guillelmi de Bundo. Isti sunt homines Sancti Vedasti: Guerrefridus de Atrebato; Hugo de Balol; Eustachius de Longovado; Gunemarus Auriga; Hugo Thiulut; Gerardus Durussensus; Alelmus villicus de Bigartio; Bernardus et Wigerus de Gaverella.

Actum Atrebatii, anno incarnati Verbi M<sup>o</sup> C<sup>o</sup> XL<sup>o</sup> VIII<sup>o</sup>, indictione XI<sup>o</sup>, anno primo domni Guerrici abbatis huius loci.

**Lambert of Waterlos, *Annales Cameracenses, MGH SS 16* (Hanover, 1859), p.516**

Theoderico vero comite Flandriae in via Domini profecto, Balduinus comes Hainoensis factum feodus mox abrupit, se totum alienavit, in predicti comitis uxorem armis et rapinis insurrexit. Quod prudens mulier ad horam prudenter distulit, ut quiesceret mandavit; et quoniam vicina partui erat, ideo rebellare non poterat. Comes tamen vocem eius audire contempsit. Post partum vero sui non oblita iniuriaque illatae a comite comitissa, et memor generis sui, quod ducebat a stirpe regia, de quo valde pollebat dignitate et gloria, adversus comitem **cor virile sumens, uti leaena irata frendens, arma cum suis concitat, comitem cum suis refrenat, multis modis illum flagellet.** Nam villas, oppida et quaeque sub dominio eius erant invadit, igne vastat et rapinis dissipat. Comitem vero infra vel extra campum ubicunque cum copiis suis invenit, removet et fugat. **Unde nihil honoris comes sibi acquisivit; comitissa vero longe lateque famam et gloriam suam dilatavit, quoniam ore plurimorum laudabatur.** Nam larga in militaribus stipendiis sat fuit et honesta, et vero magnifice magnificabatur in gloria pro victoria sibi adquisita.

**Lambert of Waterlos, p.517**

Ante vero concilium utrique a domno papa fuerant accersiti, scilicet **comes Balduinus Hainoensis et comitissa Flandrensis Sibylla, femina virtutis.** Quomodo vero in via stipata militari acie fuerit, vel in quanta gloria domno pape occurserit, quam splendide, quam honeste in presentia eius sese habuerit, vel in quantum celebre longe lateque nomen eius claruerit, satis notum est multis. **Domnus vero papa Remis pacem et concordiam inter eos reformavit.**

**Nr. 564, PL 180, col. 1582**

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectæ in Christo filiæ SYBILLÆ Flandrorum comitissæ, salutem et apostolicam benedictionem.

Quoniam, dilecta in Domino filia, devotionem tuam in his quæ ad Dominum pertinent credimus esse sollicitam, idcirco apostolicis te litteris duximus honorare et ad venerabilis fratris nostri Godescalci Atrebaten sis episcopi auxilium in animæ tuæ ac viri tui salutem propensius incitare. **Si enim idem frater noster a viri tui oppressione tua fuerit industria liberatus, ex hoc ipso præmium duplicatum recipies; quoniam et tuam animam, quæ utique eodem peccato tenetur,** cum possis et negligas obviare, a laqueo diaboli eripere studiisti. Scriptum namque est: **Mulier diligens corona est viri sui.** Profecto, sicut ex supradicti fratris nostri conquestione accepimus, in una sua villa sola quam habet, vir tuus ipsum multiplicitate inquietat, et homines subsides videlicet ipsius de villa eadem ipsi contra justitiam et per violentiam aufert. **Nos ergo, quoniam de tua devotione, prudentia et discretione confidimus, præsentibus litteris nobilitati tuæ mandamus, quatenus virum prudenter commoneas, ut a supradicti fratris nostri inquietatione desistat et homines suos quos retinet ipsi restituat.** Non enim hominis sunt, sed Dei et Ecclesiæ ipsius sunt illa quæ ipse fratri nostro abstulisse dignoscitur. Ideo, nisi ea restituere forte voluerit, nos venerabili fratri nostro Samsoni Remensi archiepiscopo dedimus in mandatis ut tam in personam quam in terram ipsius tantam malitiam districtius studeat vindicare.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Nonis Februarii.

**Sigebert of Gembloux, Auctarium Aquicinense MGH SS, vol. 6 (Hanover, 1844), p.403**

Theodericus comes Flandrie, iam tertio profectus cum quibusdam principibus terre sue, ducta etiam uxore sua zelo pio devotionis accensa, cum quadringentis militibus et copioso belli apparatu Hierosolimam, Philippus filius eius **comitatum suscepit; quem iusticia, fortitudo et liberalitas omnibus bonis laudabilem et amabilem fecit.**

**Nr. 166, De Oorkonden, pp.265-67, p.265**

Ph[ilippus] iuvenis comes

**Nr. 167, De Oorkonden, pp.266-67**

Philippus heres ac successor meus

**Nr. 133, De Oorkonden, pp.216-17**

In nomine sancte et individue Trinitatis.

Ego Theodericus, divina miseratione Flandrensis comes, notum fieri volo universis in Christo fidelibus tam posteris quam modernis, qualiter controversia inter me et dominum M[ilonem] venerabilem Morinorum episcopum pro ecclesia clericorum de Hesdinio aliquamdiu habita, per ecclesiasticas personas et barones meos, Deo donante, fuerit terminata. Ego siquidem et **filius meus Philippus, consilio et petitione uxoris mee Sibille, necnon assensu baronum meorum**, quicquid iuris in prefata habebam ecclesia, causa Dei et salutis anime mee et predecessorum meorum, libere et quiete contuli Deo et ecclesie Sancte Marie Teruannensis in manu prefati episcopi M[ilonis] et successorum eius ad opus clericorum ibidem constituendorum canonice et in ordine clericali.

**Nr. 172, De Oorkonden, pp.273-74**

Noverint tam presentes quam futuri quod **ego Theodericus, Dei gratia Flandrensis comes, et comitissa una cum filio meo Philippo, Atrebati, cum peregrinationis iter aggressi essemus, cum aliis plerisque affuimus, ubi Jordanus castellanus de Dixmudis Yprensi ecclesie per manum meam ac Philippi septem firtonum redditus absque omni exactione imperpetuum iure hereditario possidendos assignavit.**

Et ut rata foret assignatio eam sigilli mei impressione corroboravit.

Actum est hoc anno Domini M<sup>o</sup> L<sup>o</sup> VI<sup>o</sup>I.

Testes: Milo Morinorum episcopus; Geraldus Tornacensium episcopus; abbas de Sancto Bertino; Desiderius Insulanus prepositus; Robertus Ariensis prepositus; abbas de Sancto Amardo; Rogerus castellanus Curtracensis; Galterus Formozellensis; Galterus Duacensis

castellanus; Arnaldus de Ruplemunda; Gilelmus de Paschendala; Joseph de Dixmudis; Volcraven filius eius; Lambertus de Jathbeka.

### Lambert of Waterlos, p.531

Precibus tamen magnis comes instabat, **puerum Deo commendans suisque hominibus**, atque ut fidelitatem puero custodiant quibusque sibi obviantibus precabatur. **Principes ergo petitiones comitis audientes, lachrymasque matris plurimum condolentes, pietate moti sunt, consolatoriis verbis eos consolabantur:** ‘*Postulamus pie vos a lachrymis abstinere, quoniam melius erit filio terraeque, quam aestimatis. Namque in omnibus praecepsis vestris puero obtemperabimus, et sanum atque incolumem vobis eum restituemus.*’ Istis allocutionibus comes relevatus ac laetior effectus cum pace discessit, iter suum peragraturus.

### Lambert of Waterlos, p.531

**...populum multum quasi arenam quae est in littore maris...**

### Lambert of Waterlos, p.531

Robertus Bethuniae nomine nuncupatus advocatus, a Philippo comite raptus, sub custodia publica in turre Duacensi retruditur ob multiplices nequicias quas agitabat; tandem transacta hebdomada, eiectus de custodia, **comiti spopondit fidelitatem servandam et patriae iura tenenda.**

### Lambert of Waterlos, p.532

**Nondum finita guerra inter Philippum comitem et Simonem**, albescentibus messibus prae maturitate, populum suum denuo comes Philippus in unum congregat, ad debellandum Simonem properat, exercitum tandem ante Havennencurt protrahit, illic per dies aliquot sedet.

### Lambert of Waterlos, p.532

.. Theodericus comes venit, a suis honorifice receptus est **cum maxima pompa**, plebis clerique tripudio; **inde tamen dolor et luctus contingit in populo, quia comitissa non est repatriata cum domino suo.**

### Nr. 175, De Oorkonden, pp.277-78

In nomine sancte et individue Trinitatis.

Notum sit omnibus tam presentis quam futuri temporis fidelibus Christi quod ego Philippus, gratia Dei Flandrenium comes, ob salutem anime mee et propter spem et amorem futurorum gaudiorum ecclesiam Dei Watinensem honore meo non privabo sed exemplo antecessorum meorum animatus illam sicut ipsi amaverunt ego amabo, sicut illi honoraverunt ego quoque honorabo et quecumque illi ecclesie contulerunt nullo modo minuam sed augebo, et si qua sunt illi importabilia ego auctoritate mea libenter alleviabo. Volo igitur ut universa terra quam sancta Watinensis ecclesia sub tuitione mee advocationis iam possidet, ab omni importuna

rogatione tam castellanorum quam ceterorum fortium virorum ab hodierno die usque in sempiternum libera sit et immunis. Constitutiones preterea et consuetudines antiquas in eadem ecclesia observatas ratas esse decernens, ne alias super terra ad predictam ecclesiam pertinente, alias quam coram preposito et capitulo in causam trahere presumat, constanter interdico. Volo etiam ut omnis calumpnia super terra que ad memoratam spectat ecclesiam emergens, ad prepositum referatur et ipso presenti vel ipsius officiali, iudicio capituli, salvis constitutionibus et consuetudinibus, que pro utilitate et indemnitate ecclesie institute noscuntur, terminetur, salvo dumtaxat redditu meo quem mihi annuatim hereditario iure persolvere debet.

Et ut istius libertatis confirmatio rata et inconcussa permaneat perpetuo prefate ecclesie, sigilli mei impressione corroboro.

Actum apud Furnis, anno Domini M<sup>o</sup> C<sup>o</sup> L VI<sup>o</sup>II, inductione VI, hiis testibus et consiliatoribus: Milone Teruanensi episcopo; Milone archidiacono eius; Desiderio archidiacono Tornacensi, cum aliis plurimis.

#### **Nr. 184, *De Oorkonden*, pp.288-89**

Ego Theodercus, Dei gratia Flandrensum comes, notum facio tam presentibus quam futuris quod Robertus comes, predecessor et avunculus meus, dedit Sancto Bertino, pro anima filii sui Guillemi qui sepultus est in monasterio predicti sancti, quandam terram quam berquarium vocant in parrochia Sancti Willebrordi, cum fundo et comitatu ipsius, ab omni consuetudine, sicut eam ipse possederat, liberrimam. Per successiones itaque et intervalla temporum, ex nimio flatu ventorum, quandam predicte terre partem discurrentes harene cooperuerunt. Precepi igitur partem illam saisiri, sugerentibus mihi hominibus meis quod transire debeat in ius meam quicquid discurrentibus harenis coopertum est. Convenient me sepius abbas et monachi, clamant, queruntur possessiones suas contra omnem iuris equitatem sibi auferri. **Hec controversia duravit inter me et ipsos usque ad tempus illud quo Iersolimam profecturus crucem assumpsi.** Tandem, victus precibus abbatis Leonis, qui mihi et filio meo satis fideliter astiterat, immo potius, sentiens non expedire anime mee ut elemosine quas predecessores mei ecclesiis contulerunt per me eis subtrahantur, recognovi abbati ius suum, et dunas quas infra terminos fundi sui saisieram ei reddidi, mandans per dominum Milonem Morinorum episcopum Philippo filio meo, et litteris meis ei precepiens ut per veritatem et iuramentum hominum meorum designentur abbati termini terre quam Robertus comes cum fundo dederat, et quicquid de dunis infra terminos fundi illius inveniretur vel in posterum supercrescere posset ecclesie restitueretur. Quod et factam est, iusticia itaque et iuramento dictante. Berquaria cum fundo et dunis sine diminutione in possessionem rediit monachorum. **Quia vero, quando absens eram, hec, me precipiente, a filio meo facta sunt, postmodum in Flandriam rediens coram me recitari feci,** recognoscensque factum esse uti preceperam, per omnia ratum habeo.

Ne igitur a successoribus meis de predicta berquaria et fundo et dunis eius deinceps aliquam, quod absit, molestiam patientur, scripto meo eos communivi, quod et sigilli mei impressione corroboratum est.

Actum anno incarnati Verbi M<sup>o</sup> C<sup>o</sup> L<sup>o</sup> IX<sup>o</sup>, indictione VII.

Testes: Signum Philippi comitis. S. Martini abbatis Sancti Vedasti. S. Hugonis abbatis Sancti Amandi. S. Gualteri capellani. S. Rogeri de Wavring. S. Hellini filii eius. S. Rogeri de Cison. S. Desiderii Insulani tunc cancellarii. S. Guifridi de Hamelancurt.

### **Lambert of Waterlos, p.538**

Comes Philippus Flandriae adolescens curiae Aquisgranis cum grandi apparatu domno imperatori occurrit in natalitio Domini. Ubi et domno imperatori hominum constituit, cum regina nepte sua etiam amicitiam indissolubilem composuit, et auxilatricem sese **comiti profuturam**, si necessitas incumberet, sane spopondit.

### **Nr. 249, De Oorkonden, pp.396-97**

In nomine sancte et individue Trinitatis.

Philippus, Dei gratia comes Flandrie, tam futuris quam presentibus christiane religionis cultoribus in perpetuum. Quicumque principatum terrene optinent dignitatis ex potestate celitus sibi concessa debent unicuique sua iura servare et maxime ecclesiarum atque in eis Deo famulantium quietam et tranquillitatem providere, <non enim sine causa gladium portamus>. Cuius considerationis intuitu **ecclesiam Sancti Nicholai canonicorum regularium** sitam in suburbio Tornacensi, fidelium meorum devota petitione, **sub nostra successorumque nostrorum tutela protegendarum, ad honorem Dei omnipotentis suscepimus**; **quatenis terras et allodia cum pratis et aquis, agris cultis et incultis, ceterisque beneficiis ad eandem sanctam Dei ecclesiam pertinentibus, nullo contradicente vel iniuriarum faciente** ad usus fratrum suarum secum in predicta ecclesia degentium abbas libere et quiete possideat. Nemini sit facultas ecclesiam ipsam perturbare, aut quecumque eius sunt vel fuerint quibuslibet occasionibus auferre vel temerariis vexationibus fatigere.

Quod ut nostris ac futuris temporibus firmum illibatumque servetur, cartam istam sigilli mei corroboravi impressione, meisque fidelibus asscriptis eorum nominibus, huius constitutionis atque mandati mei testimonium iussi perhibere.

De possessionibus itaque prefate ecclesie hec nominatim decrevimus exprimenda: terras arrabiles circa Tornacum inter Circum et Eiram tres carucatas, terram quam dedit Walterus advocatus, terram et decimam apud Landast, allodium et terram censualem apud Castrecin, terram quam dedit Alardus de Spelchin, apud Rosbais terram duos modios frumenti persolventem, apud Waterlos redditus IX raseriarum frumenti, apud Torcoing sex dicta ecclesia possidet aut in futurum largitione fidelium seu aliis rationabilibus modis poterit adipisci integra serventur sub nostra tutela, eorum pro quorum sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura.

Huic legitime libertati faciende hii legitimi testes interfuerunt: Desiderius prepositus de Insulis; Robertus prepositus Ariensis; Haketus decanus de Brugis; Robertus prepositus Harlebeccensis; Hermannus abbas de Oudenburch; Lambertus abbas de Echout; Eustachius

camerarius; Rogerus de Landast; Cono castellanus de Brugis; Jordanus de Beverna; Walterus de Locra; Sigerus de Somerinchem; Johannes filium Gervasii; Oliverus Clericus de Insulis.

Actum Brugis, anno ab incarnatione Domini M<sup>o</sup> C<sup>o</sup> LX<sup>o</sup> V<sup>o</sup>.

**Nr. 254, *De Oorkonden*, pp.402-4, here p.404**

Noverint quoque tam futuri quam presentes, quod Stephanus qui quandam partem huius advocationis tenebat et eandem ecclesiam valde infestabat, **a filio meo Philippo, cum essem Iherosolimis, submonitus, die denominata cum Rainero filio suo Insulę venit in presentia mea**, cum fuisse reversus, in presentia quoque filiorum meorum et principum suprascriptorum, ibi quicquid in advocatione supradicta iniuste reclamabat cum fide et sacramento guerpivit.

**Nr. 255, *De Oorkonden*, pp.404-7, here p.406**

Ego etiam Philippus, Dei gratia Flandr(iarum) comes, ad humilem Johannis supradicti abbatis et monachorum, quę apud Insulam facta est petitionem, sugerente etiam et concedente comite Theoderico patre meo, **qui reversus erat de Iherosolimis**, dictante etiam iusticia et baronibus meis iudicantibus quod antecessorum meorum privilegia per me tenenda et adimplenda essent, in hac pagina statuo et decerno, sub sigilli mei impressione et annotatione testium, ut libertas prefatę ecclesię, sicut a supradictis predecessoribus meis constituta inventa est et hic annotata, perpetuam optineat firmitatem, nec advocatus, nec quilibet alias eorum quę in privilegiis nostris communiter scripta sunt quicquam audeat infringere.

**Nr. 239, *Recueil des actes d'Henri le Libéral, comte de Champagne, (1152-1181), vol. 1, ed. J. Benton and M. Bur (Paris, 2009)*, pp.312-13**

Ego Henricus, Trecensium comes palatinus, presenti scripto notum fieri volo diem unum fuisse in quo **Guido de Garlanda et Ansellus, filius ejus, jus suum de honore Posse a me requisierunt, videlicet pro Hugone de Possessa qui uxoratus remanserat in Calabria**. Super hoc illis constitui diem Trecis die Jovis infra octavas Natalis Domini. Ad diem constitutum venerunt [et] **requisierunt pro jure hereditario honorem predictum**. Ego quidem illis recognovi hereditatem illam. Adjeci tamen quod prefatus Hugo, cum Jherosolimis proficiseretur, terram suam michi commendavit et dimisit in manu mea et postea per legitimos et notos nuntios michi mandavit ut terram suam sibi custodirem. **Tunc barones mei qui presentes adherant**, scilicet comes Teobaldus frater meus, dominus Ansellus de Triagnello, Garnerius frater ejus, Symon de Brecis, Willelmus de Domno Petro, Hugo de Planceio, Odo constabularius, Girardus de Cathalauno, Drogo de Pruvino, Petrus frater ejus, Petrus Bursaldus, Willelmus marescallus et quam plures alii **pro ratione decreverunt quod predicto Hugoni mandarem ut infra annum repatriaret et rediret ad terram suam**. Quod si non rediret infra annum, tunc predictos, Guidonem scilicet et Ansellum, de predicta investirem hereditate, salvo tamen jure ipsius Hugonis si **reverteretur** et salva michi redemptione mea de foedo meo. Decreverunt etiam quod, si placitum meum esset, prefatis Guidoni vel Ansello predictam terram bene possem interim committere sicut alii custodiendam. Actum est hoc Trecis anno incarnati Verbi millesimo

centesimo sexagesimo sexto, astantibus et testantibus prenominate viris. Data per manum Willelmi, cancellarii.

**Gislebert of Mons, *Chronicon Hanoniense*, ed. L. Vanderkindere (Brussels, 1904), pp.121-22**

Anno Domini 1177. **Philippus comes Flandrie et Viromandie, cruce Domini signatus, congregatis apud Insulam baronibus suis, Balduino comiti Hanoniensi et ejus uxori Margharete comitisse, quia ipse proprii corporis herede carebat, fratresque sui Matheus et Petrus decesserant**, super hereditate Flandrie obtinenda, tamquam justis et propinquoribus heredibus, ab hominibus suis Flandrie fidelitates et securitates fecit exhiberi, concedente eciam sorore sua, in Messinensi ecclesia sanctimoniali, quam primo comes Sabadie, postea vir nobilis Hugo de Oisi habuerant uxorem. **Peractis autem securitatibus illis, ipse comes Flandrie, terra sua ordinata et custodie fidelium suorum tradita, Jherosolimam cum multis probis viris adiit.**

**Nr. 522, Henri le libéral, pp.649-50**

Ego Henricus, Trecen. comes palatinus, notom facio presentibus et futuris quod, cum pro remedio anime mee iter Jherosolitanum arripuisse, apud Divionem presentialiter constitutus et ab abbe Sancti Benigni Divionensis et conventu ejusdem loci in captitulo honorifice susceptus, humiliter petii ut dampna et injurias quas ego et ballivi mei in quibusdam prioratibus ejusdem monasterii sub dominio meo constitutis intuleramus, mihi remitterent et pro salute tam corporis quam anime mee jugiter Dominum exorarent. Qui, precibus meis benigne condescendentes, participationem omnium bonorum que in ipso monasterio, tam in capite quam in membris facta fuerant vel de cetero fierent, mihi concesserunt et quod in obitu meo tantum pro me fieret in missis et in aliis beneficiis quantum fit in obitu pro abbe ejusdem monasterii.

Sed specialiter conquerebantur super hoc quod tradideram **nobili viro et fideli meo Wiardo, domino de Risnello**, custodiam prioratus Sancti Benigni Bertiniace curtis, dicentes quod **in carta Hugonis comitis, antecessoris mei, plenius continebatur quod ipse vel ejus heredes nullo modo ipsam custodiam in alia manu quam in propria possent tradere vel ponere**. Que carta ibidem diligenter inspecta, de supradictis michi plenarie constituit et quod in prioratu predicto pauper prebendarius continue debebat sustentari et qualibet die lune missa pro salute comitum Trecen. debebat celebrari. Cum igitur ibidem voluntati eorum satisfacere non possem, prout tenebar, **eis promisi bona fide quod in reditu meo custodiam ipsam in manu mea propria reducerem** nec aliquando de cetero contra hoc venire aptentarem et, si forte in ipso itinere vel alibi de me continget humanitus, volui et precepi ut hoc ipsum pro me heredes mei facere et adimplere tenerentur.

Testes: Hugo dux Burgundie, Odo Campaniensis, Guillermus marescallus, Ertaudus camerarius, Theobaldus de Fimis, magister Philippus, Petrus Lingonensis. Actum Divioni, cum irem Jherosolimam, anno incarnati Verbi M<sup>o</sup>C<sup>o</sup>LXXVIII<sup>o</sup>. Data per manum Stephani, cancellarii.

**Nr. 299, Layettes, vol. 1, pp.124-26, here p.124.**

Ego Henricus Trecensis comes palatinus. Notum facio presentibus et futuris, quod hominibus de Meldis communiam sub hiis punctis habere concessi. - **Primo. Juraverunt omnes se michi, et Marie comitisse uxori mee, et Henrico filio meo, et successoribus meis imperpetuum fidelitatem servatueros.**

Chapter Six: The Contribution of Innocent III and His Influence on the Papal Protection of His Successors

Nr. 336, *Die Register Innocenz' III, 1. Pontifikatsjahr, 1198/99 Texte*, ed. O. Hageneder and A. Haidacher (Graz, 1964), pp.499-505, here p.503.

**Bona insuper ipsorum, ex quo crucem suscepint, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus – necnon et sub archiepiscoporum et omnium prelatorum ecclesie Dei defensione consistant - statuentes ut donec de ipsorum obitu vel reditu certissime cognoscatur, integra maneant et quieta consistant. Quodsi quisquam contra presumpserit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescatur.**

Nr. 300, *Register Innocenz III, 1*, pp.426-27, here p.427

Quanto gravioribus rerum et personarum periculis se opponunt, qui relicta domo propria pro liberatione salutifere crucis et terre sancte, quam Dominus noster Jesus Christus pretioso sui corporis sanguine consecravit, ad partes transmarinas accedunt, tanto circa tuitionem ipsorum et rerum suarum vigilantior cura nobis incumbit: cum tam ipsi quam res eorum sint, donec in sancta pergrinatione permanserint, **specialiter sub protectione sedis apostolice constituti**.

Nr. 343, *Register Innocenz III, 1*, pp. 512-14, here p.513

Qualiter autem terre sancte per fratres nostros et nostra disposuerimus subvenire, qualiter et quem ad reformatam inter karissimos in Christo filios nostros Ph(ilippum) Francorum et R(ichardum) Anglorum reges illustres vere pacis concordiam vel treugas saltem usque ad quinquennium statuendas et exhortandos fidelium populos ad obsequium Crucifixi, quem de fratribus nostris Pisas, quem Januam, quem etiam Venetiam propter hoc duximus destinandos, quam remissionem hiis, qui Christo exuli et exterminio Jerusolimitane regionis in personis et rebus et vel in personis vel rebus subvenerint, concedamus, et quod **eorum bona sub nostra protectione suscipiamus**, eos a feneratorum instantia relevantes, tibi et predictis sociis tuis ex forma litterarum communium poterit manifeste liquere.

Nr. 407, *Register Innocenz III, 1*, pp.606-11, here p.611

Si vero nostris acquiescere volueris monitis et mandatis, **ex quo crucem Domini suscepis, bona tua sub beati Petri et nostra protectione suscipimus necnon et sub archiepiscoporum et omnium prelatorum ecclesie Dei defensione consistant**.

Nr. 2, PL 215, col.1341

Ut igitur te in pio proposito foveamus, prædecessorum nostrorum vestigiis inhærendo statuimus ut **tam persona quam omnia bona tua pariter et familia, ex quo crucem acceperis, sub apostolicae sedis et nostra necnon archiepiscoporum et aliorum prælatorum Ecclesiæ Dei**, in quorum diœcesibus ipsa permanent, **protectione consistant**, et donec de tuo reditu vel obitu certissime cognoscatur, **integra maneant et quieta**.

Nr. 65, PL 216, col.258

**...personam et regnum tuum cum omnibus bonis tuis sub beati Petri et nostra protectione suscipimus**, statuentes et quandiu vacaveris operi hujusmodi pietatis, **integra maneant, et a cuiuslibet temeritatis incursu quieta consistant**.

Nr. 302, Register Innocenz III, 1, pp.430-33, here p.432

Omnibus autem, qui propter hoc in persona propria laborabunt, de Dei et apostolorum eius Petri et Pauli auctoritate confisi **plena peccatorum suorum**, de quibus cordis et oris egerint penitentiam, veniam indulgemus. Ceteros vero, qui ad opus huiusmodi exequendum aliqua de bonis suis forte contulerint, iuxta muneris quantitatem et precipue iuxta **devotionis affectum** remissionis huius participes esse censemus. Sciat autem se culpabiliter durum et dure culpabilem, qui monitis apostolicis in opere tam pio et necessario neglexerit acquiescere, cum apostolorum moneamur exemplis, ut collectas pro fratribus indigentibus et maxime laborantibus in Ierusalem faciamus.

Nr. 149, PL 215, cols. 1246-47, here col.1247

Ideoque, cum ferro abscidenda sint vulnera quæ fomentorum non sentiunt medicinam, et qui correctionem ecclesiasticam vilipendunt brachio, sint sæcularis potentiae comprimendi, auxilium tuum, **fili charissime, invocandum duximus ad vindicandum injuriam Jesu Christi et capiendas vulpeculas quæ vineam Domini Sabaoth non cessent in simplicibus demoliri**, serenitatem regiam monentes attentius et exhortantes in Domino, in remissionem tibi peccaminum injungentes, quatenus ad extirpandos tam degeneres palmites, qui missis radicibus in profundum labruscos generant et non uvas, ad eliminandum quoque spurcitiam tam nocivam accingaris viriliter et potenter, ut et fidei tuæ puritas, quam tanquam princeps catholicus servas in mente, strenuis actibus in opere declaretur, et hæreticæ perfidiæ sectatores potentiae tuæ virtute contriti ad veritatis notitiam saltem inter afflictiones bellicas reducantur.

Nr. 28, PL 215, col.1358-59, here col.1358

Quapropter, **dilectissime fili, gladium quem ad vindicatam malefactorum**, laudem vero bonorum a Domino accepisti, gladio nostro junge, ut simul de tam scelestis et inhumanis malefactoribus ulciscamur.

Lateran IV, 1215, Decrees of the Ecumenical Councils, p.234

Si vero dominus temporalis, requisitus et monitus ab ecclesia, terram suam purgare neglexerit ab hac haeretica foeditate, per metropolitanum et ceteros comprovinciales episcopos excommunicationis vinculo innodetur;

Ad liberandam, Decrees of the Ecumenical Councils, pp.268

...ut qui personaliter non accesserint in subsidium Terrae sanctae, competentem conferant numerum bellatorum cum expensis ad triennium necessariis secundum proprias facultates, in remissionem peccatorum suorum, prout in generalibus literas est expressum et ad maiorem cautelem etiam inferius exprimetur.

Ad liberandam, Decrees of the Ecumenical Councils, pp.268

Huius remissionis volumus esse participes non solum eos qui naves proprias exhibent, sed etiam illos qui propter hoc opus naves studuerint fabricare.

**Nr. 355, Register Innocenz III, 1, pp.530-32**

Mediator Dei et hominum Christus Jesus redemptionis humane misterium impleturus pacem discipulis pro hereditate legavit, ut eam servarent adinvicem et ad observationem eius ceteros invitarent: <Pacem>, inquiens, <meam do vobis, pacem relinquo vobis.> Prophete quoque monemur consilio, ut pacem non solum querere sed etiam persequi debeamus, <Inquire>, dictentis, <pacem et persequere eam>. Unde nos, qui vices Christi licet insufficientes exercemus in terris, **eius sequentes exemplum et predecessorum nostrorum consuetudinem imitantes**, ad reformandam inter discordantes vere pacis concordiam intendere volumus et tenemur, presertim cum ex discordantium ipsorum dissidio magnam tam ipsis quam ecclesiis et pauperibus terre sue, immo etiam toti christiano populo, provenerit detrimentum.

**Nam ut stragem virorum, ecclesiarum gravamina, pauperum oppressionem et totius tam Gallicane quam Anglicane gentis periculum**, que propter guerram, quam tu et karissimus in Christo filius noster. . rex Anglorum illustris adinvicem exercetis, provenerunt, hactenus taceamus, communi populi christiani dispendio et excidio Jerusolimitane provincie tu et ipse causam videmini et materiam prestitisse, cum, **hominibus utriusque regni propter tuam et eius dissensionem detentis**, non solum, que amissa fuerant **ab inicio in partibus transmarinis**, nondum recuperari potuerint, immo hiis etiam grave videatur periculum imminere, que a christianis hactenus sunt possessa. Antiquis enim et tristibus rumoribus novi ac tristiores supervenere rumores, quod, cum Teutonici Achon navigio et cetera usque assumite. Quia vero nos ad subventionem terre orientalis tam in personis quam rebus dilectos filios nostros S(offredum), tituli sancte Praxedis [presbyterum] et P(etrum), sancte Maria in Vialata diaconum, cardinales, apostolice sedis legatos, viros honestate morum, maturitate consilii et scientia reverendos, quos iner alios fratres nostros speciali caritate diligimus, ministerio proprio sancte crucis caractere curavimus insignire: ne quid ex contingentibus omittere videamur, dictum sancte Marie in Vialata diaconum cardinalem, virum scientia predictum, honestate preclarum, Deo et hominibus – sicut speramus – acceptum, ad tuam et eiusdem regis presentiam duximus destinandum, legationis ei officium committentes.

Ideoque serenitatem tuam rogomus, monemus et in remissionem iniungimus peccatorum, quatinus eum sicut legatum apostolice sedis recipiens et honorans, ad exhortationem nostram et eius infra duorum mensium spaciū post receptionem presentium et commonitionem ipsius factam utrique vestrum – quia sic est necessarium populo christiano, ut id sine dilationis diffugio maturetur, cum sine tuo et fidelium tuorum ac sine dicto rege ac fidelium eius susbsidio, quod in sequenti Martio proposuimus ad partes illas dante Domino destinare, vix terre sancte, in qua pedes Christi steterunt et ubi Deus, rex noster, ante secula nostram dignatus est operari salutem, poterit subveniri – plenam pacem vel treugas longas saltem usque ad quinquenniam ineas et observes: ita, quod interim nullum alterutri circa proprietatem vel possessionem eorum, que a reliquo detinentur, preiudicium generetur.

Alioquin, quantumcumque nobis molestum existat celsitudinem regiam in aliquo molestare, quia tamen Deum tibi preponimus et communem utilitatem tuis debemus commodis immo potius incommodis anteferre, nisi ad commonitionem eiusdem legati mandatum apostolicum infra prescriptum terminum humiliter receperis et impleris, extunc de communi fratum nostrorum consilio totam terram tuam subiacere decernimus interdico: ita, quod preter baptismā parvulorum et penitentias morientium nullum in ea divinum officium celebretur. Quodsi nec per hanc distinctionem impleveris, quod mandamus, te ipsum, fautores et consiliarios principales ecclesiastica severitate noveris cohercendos; id ipsum de terra regis Anglie, ipso etiam, fautoribus suis et consiliariis decernentes.

Venerabilibus etiam fratribus nostris archiepiscopis, episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus et universis ecclesiarum prelatis utriusque regni sub pena ordinis et officii sui mandamus et in virtute Spiritus sancti precipimus, ut interdicti sententiam secundum prescriptam formam inviolabiliter studeant observare et faciant ab aliis irrefragabiliter observari. Idem etiam fratribus militie Templi ac Jerusolimitani Hospitalis sub privilegiorum et indulgentiarum suarum pena mandamus; credentes ex hoc non voluntati tue sed utilitati, non affectui sed profectui, non oneri sed honori consulere totique christiano populo providere. Statuimus etiam ut, si quis omnino clericus cuiuscumque professionis vel ordinis post interdictum nostrum divinum tibi presumpersit officium ministrare, ordinis et beneficii sui se noverit periculum incurrisse.

Attendas igitur, fili karissime, nostrum et apostolice sedis tue matris affectum, causam coactionis inspicias et communi utilitati prospiciens motui carnis anime prepone salutem et sensualitati preferas rationem, non apostolice sedi regia potestate resistens, sed humilitate deferens filiali, que in hoc etiam salutem tuam procurat pariter et honorem.

Scriptum est in eudem modum R(ichardo), illustri regi Anglorum. Scriptum est super hoc eudem universis archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus et ceteris ecclesiarum prelatis in utriusque regis regno constitutis.

**Nr. 24, Die Register Innocenz' III, vol. 2, Pontifikatsjahr 1199-1200, ed. O. Hagneder et al (Vienna, 1979), pp.33-34**

Ne autem fructus ipse, qui adhuc quasi viret in flore, inimico homine superseminante zizania, quod, absit valeat suffocari, ne semen supra petram cecidisse credatur, si antequam ad plenam veniat maturitatem arescat, cum secundum apostolum non auditores legis sed factores iusti sint apud Deum, et alibi auditor verbi et non factor viro consideranti vultum nativitatis sue in speculo comparentur, nec sufficiat incipere bonum, nisi et perseveretur in ipso, quoniam non qui inceperit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit: oportet magnificentiam regiam **cavere precipue consilia detractorum, qui pacis consilium odientes scandala suscitant et nutriunt suscitata, qui letantur, cum male fecerint, et in rebus pessimis glorianter.**

**Cum igitur, sicut ex litteris eiusdem legati et tuis accepimus, inter te ac karissimum in Christo filium nostrum R(icardum), Anglorum regem illustrem, treuge firmate sint pariter et recepte quinquennes, nos treugas ipsas iuxta mandati nostri tenorem initas et firmatas ratas habemus et precepimus inviolabiliter observari:**

**Nr. 5, Register Innocenz III, 1, p.12**

Non est dicendus voti transgressor, qui, quod vovit, de auctoritate sedis apostolice iusta tamen ex causa distulerit adimplere.

Sane significavit nobis karissimus in Christo filius noster Henricus, Ungarie rex illustris, quod, cum in regni turbatione consilium et auxilium tuum sibi senserit hactenus profuisse, utilitati eius non modicum derogaret, si Ierosolimam, sicut ex voto teneris, regno pergeres inpacato. Cum igitur nobis immineat de honore ipsius regis et statu regni Ungarie sollicite cogitari, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus non prius iter arripias Ierosolimam adeundi, quam regnum ipsum fuerit **tranquillitati pristine** faciente Domino restitutum vel **super hoc receperis ab apostolica sede mandatum.**

Datum Laterani.

**Nr. 68, *Die Register Innocenz' III, vol. 6, Pontifikatsjahr, 1203/4, ed. O. Hagedener et al*  
 (Vienna, 1995), pp.94-96, here p.95**

Nosti etenim, utpote qui hoc in libro experientie cottidiane legisti, **quanta mala ex dissensione, que inter te et carissimum in Christo filium nostrum Iohannem, regem Anglorum illustrem**, peccatis exigentibus est exorta, non solum communiter regnis vestris, sed generaliter universo provenerint populo christiano. **Ecce etenim vobis adinvicem decertantibus destruuntur ecclesie, pauperantur divites, pauperes opprimuntur, et dum nec religioni nec sexui parcitur**, viri religiosi, qui conserverant orationi vacare, mendicare coguntur, et ille prostituuntur, quod dolentes dicimus, voluptati predonum, que virginitatem suam voverant virginatatis auctori.

**Ad liberandam, Decrees of the Ecumenical Councils, p.270**

Quia vero ad hoc negotium exequendum, est permaxime necessarium ut principes populi christiani adinvicem pacem observent, sancta universalis synodo suadente statuimus, ut saltem per quadriennium in toto orbe christiano servetur pax generaliter, ita quod per ecclesiarum praelatos discordantes reducantur ad plenam pacem aut firmam treguam inviolabiliter observandum; et qui **acquiscere forte contempserint, per excommunicationem in personas et interdictum in terras arctissime compellantur**, nisi tanta fuerit iniuriarum malitia, quod ipsi tali non debeat pace gaudere.

**Nr. 28, PL 216, cols.817-22, here col.819**

Ut autem terrae sanctae subsidium divisum in plurimos facilius impendatur, **obsecramus omnes et singulos, per Patrem et Filium et Spiritum sanctum, unum solum verum, unum æternum Deum postulantes, vice Christi, pro Christi, ab archiepiscopis et episcopis, abbatibus et prioribus, et tam cathedralium quam aliarum conventionalium ecclesiarum capitulis et clericis universis, nec non civitatibus, villis et oppidis competentem numerum bellatorum cum expensis ad triennium necessariis secundum proprias facultates**. Et si ad hoc unum quolibet non sufficerit, plura conjungantur in unum; **quia pro certo speramus quod personæ non deerunt, si expensæ non desint.**

**Nr. 108, PL 216, cols.904-5, here col.905**

De illis vero qui uxoribus rectamantibus volunt suscipere signum crucis de quibus dubitas an propter hoc eorum debeat propositum impediri, sic duximus respondendum, quod cum **rex cœlestis major sit rege terreno, et constet quod vocatos ad terreni regis exercitum uxorum non impedit contradicatio, liquet quod ad summi Regis exercitum invitandos et ad illum proficisci volentes prædicta non debet occasio impedire**, cum per hoc matrimoniale vinculum non solvatur, sed subtrahatur ad tempus cohabitatio conjugalis: quod in multis aliis casibus fieri frequenter oportet.

**Ad liberandam, Decrees of the Ecumenical Councils, p.269**

**...quorum personas et bona post crucem assumptam sub beati Petri et nostra protectione suscipimus; statuentes ut sub archiepiscoporum, episcoporum ac omnium praelatorum ecclesiae defensione consistant, propriis nihilominus protectoribus ad hoc specialiter deputandis, ita ut donec de ipsorum obitu vel redditu certissime cognoscatur, integra maneant et quieta; et si quisquam contra praesumpserit, per censuram ecclesiasticam compescatur.**

Nr. 885, *Regesta Honorii Papae III*, vol. 1, ed. P. Pressutti (Hildesheim, 1978), pp.149-50

Iniungit, ut per totam [Remensem] provinciam preces ad Deum fundant pro felici eventu A(ndreae) regis Hungariae, qui cum (Leopoldo) Austriae et (Octone) Maraviae ducibus ingenti cum exercitu Babiloniam intraverant: se quoque processionem fecisse cum clero et populo Vrbis, praelatis sanctorum Apostolorum Petri et Pauli capitibus; refert etiam W(ilelmi) de Carnoto magistri Templarium epistolam in qua exponitur status Terrae Sanctae: Sephedinum soldanum adventu exercitus alemanici coepisse diffidere et multo magis ad adventum regis Hungariae: timere etiam dictum Sephedinum quod navigium Frisonum apud Accon applicaret: nunquam ad tantas angustias paganos reductos esse: petere ut ad exercitus christianos equi cum commeatibus mittantur.

Nr. 281, *Regesta Honorii Papae III*, vol. 1, ed. P. Pressutti (Hildesheim, 1978), p.51

G. de Avennis Nuntiat ei, se sub apostolica protectione personam, iura et bona eius, dum ad Terram Sanctam se transfert, esse recepturum.

Nr. 282, *Regesta Honorii Papae III*, vol. 1, p.51.

Ne permittant W. de Avennis crucesignatum, cum uxore, familia, et bonis suis sub apost. protectione susceptum molestari.

Nr. 784, *Regesta Honorii Papae III*, vol. 1, p.134

<Nobili viro Stephano comiti Cotronensi crucesignato> Huic apostolicam protectionem concedit donec de suo reditu vel obitu certissime cognoscatur, pro quo unam libram auri, sicut promisit, debet Apostolicae Sedis persolvere.

'Honori urges Louis to reconcile Raymond', *The Council of Bourges, 1225, A Documentary History*, ed. R. Kay (Aldershot, 2002), p.336

Si enim hoc feceris-ut de rerum dispendio taceamus-multis eris causa salutis animarum et corporum ac removendo impedimentum hujusmodi discordie, quod multum potest officere negotio Terre Sancte, quasi inextimabiliter ejusdem terre subsidio providebis; nec ex hoc majores potes assequi titulos laudis et glorie quam si prefatum nobilem ad viam ab invio et ad apostolice sedis mandatum solo potentie tue terrore feceris sine bellico strepitu et sanguinis effusione redire.

**Deposcimus igitur serenitatem tuam precibus cumulatis quatinus eundem legatum tamquam personam nostram digna te ipso devotione recipiens, sic eidem, immo verius nobis in ipso, super premissis intendas quod tibi proveniat ad incrementum glorie temporalis pariter et eterne; hiis autem que idem legatus ex parte nostra tibi dixerit super treugis inter te ac illustrem regem Anglie innovandis, adhibeas plenam fidem.**

'Annals of Dunstable', Kay, *Council of Bourges*, p.292

Eodem anno (1226), Romanus cardinalis, apostolice sedis legatus in Franciam missus ut moneret Lodovicum regem ut restitueret Henrico regi Anglie, Normanniam, Andegaviam, et Equitaniam, qui habito consilio cum Iohanne rege Ierosolomitano et cum aliis baronibus suis, **respondit quod non redderet Anglis unum pedem terre quem Philippus pater suus ei in**

morte dimisit. Legatus vero, hoc negotio sic intermisso, transtulit se totum ad causam Albigensium;

**‘Chronicle of Tours’, Kay, Council of Bourges, p.298**

In eodem nempe concilio satis tractatum est de treuga inter regem Francie et regem Anglie reformanda necnon et de negotio Albigensi, sed ad presens nichil super hiis potuit reformari.

Chapter Seven: Crusade Regencies in Flanders, Champagne, the Kingdom of France and the Holy Roman Empire, 1189-1226

**Gislebert of Mons, *Chronicon Hanoniense*, , p.206**

Eodem tempore et anno, cum rex Francorum Philippus et rex Anglorum Henricus et filii ejus et comes Flandrie Philippus, in quodam colloquio inter Triam et Gisors convenissent, Dei inspirante gratia, cruce Domini signati sunt, scilicet Philippus rex Francorum, Henricus rex Anglorum, Philippus comes Flandrie, Theobaldus comes Blesensis, Stephanus comes, Radulphus comes Clarimontis, multique alii et **super discordiis suis usque post redditum suum a Jherosolimis treugas inter se ordinari et firmari fecerunt.**

**Nr. 778, *De Oorkonden der Graven van Vlaanderen, Band III*, pp.357-60**

Philippus Flandrie et Viromandie comes, omnibus ad quos presentium notitia pervenerit in Domino salutem. Notum sit presentibus et futuris, quod cum Crucem pro peccatis meis assumpsisse et **in procinctu essem proficisendi ad Terram Sanctam** in qua Dominus Noster Jesus Christus nostram operatus est Salatem, considerans quid omnia temporalia transitoria sunt et caduca, humilibus precibus abbatis Johannis et conventus ecclesie Sancti Bertini inclinatus, privilegia que a predecessoribus meis et a me habebant, causa Dei et pro salute anime mee, renovanda duxi et confirmanda. In primis itaque villam de Arkes quam sanctus Walbertus sancto dinoscitur dedisse Bertino, ecclesie Sancti Bertini confirmo libere et integre perpetuo possidendum sicut in privilegio Roberti incliti comitis Flandrie predecessoris mei continetur, villam etiam de Poperinghem quam predecessor meus nobilis comes Arnuphus predicte ecclesie Sancti Bertini in elemosinam dedit, eidem ecclesie confirmo libere in perpetuum possidendam. Sciendum tamen quod in predicta villa de Poperinghem debet comes habere equites qui *landridderes* vocantur in auxilium suum ad expeditionem suam secundum preteriti temporis morem et patrie consuetudinem. Et cum necesse fuerit et comes hoc abbati significaverit si summoniti non venerint abbas comiti emendabit accepturus emendam ab hominibus suis. Illi etiam qui in predicta villa ad *banwerc* sunt constituti debent comiti tantum *utlandesbanwerc* et *landwere* et placitum de hoc et iusticia erit abbatis sicut est de omnibus causis. Ad generalem vero expeditionem vel michi vel successoribus meis illos de Poperinghem recognosco et statuo de iure non teneri. Set si comes in magna necessitate auxilio hominum de Poperinghem indiguerit pro defensione corporis vel honoris sui et terre ab abbatte Sancti Bertini per certum nuntium et per litteras auxilium hominum suorum requiserit, ad mandatum abbatis in expeditionem proficiscent, ita quod in nullo tenebuntur comiti qui remanserint nec etiam ipse abbas set emenda inde erit abbatis. Licet enim aliquando michi in necessitatibus meis succererint, licentia tamen et voluntate abbatis ad preces meas id fecerunt ac per hoc volo ut ea qui michi amicabiliter facta sunt ecclesie preiudicium non faciant in posterum. Ille autem qui iusticiarius abbatis fuerit apud Poperinghem neminem poterit ab expeditione remittere vel quitare, nisi per abbatem vel eius prepositum, et si nummos vel aliud aliquid ab aliquo acceperit ut remaneat ipse si de hoc convictus fuerit et quod acceperit reddet abbatи et de cetero non admittetur ad ducendum homines Sancti Bertini in expeditionem. Ille vero qui dederit nichilominus tenebitur in emenda abbati quod remansit. Prefata itaque ecclesia Sancti Bertini debet habere in villa de Poperinghem omnia placita et omnem iusticiam secularem, que antiquo iure et longissimi temporis prescriptione obtinuit. Possessiones preterea et liberates quas vel a me vel a predecessoris meis vel ab hominibus meis per cartas autenticas predicti abbas et ecclesia Sancti Bertini concessas habent et confirmatas, ipsis presentis pagine auctoritate confirmo

iure perpetuo possendas. Ipsi autem pro me et pro dilecta uxore mea Mathilde regina debent cotidie missam unam perpetuo celebrare et anniversaria nostra sollempniter celebrare et procurare sicut fit in anniversario comitis Balduini qui in eorum ecclesia requiescit.

Ut igitur hec omnia [in perpet]uum rata et inconvulsa permaneant, presentum cartam subscriptarum testimonio personarum et sigilli mei feci munimine roborari.

Auctum [est] hoc apud Alost, coram his testibus: Gerardo Brugensi et Sancti Audomari preposito et Flandrie cancellario; Gerardo abbe Sancti Petri Gandensis; Gerardo preposito Insulensi; Roberto advocato Attrebateni et domino Bethunie; Willelmo castellano Sancti Audomari; Olivero de Makelines et Willelmo de Locres, anno dominice incarnationis millesimo centesimo nonagesimo, exeunte augusto.

**Nr. 797, De Oorkonden der Graven van Vlaanderen, Band III, pp.388-91**

Philippus, Dei gratia Flandr(ie) et Virom(andie) comes, Johanni abbati Sancti Bertini eiusque universis successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Cum unius sint mercedis et premii et hii qui ecclesiasticas possessiones vel substantias cotidie iure tuentur Dei, et hii qui eas largiuntur usibus fidelium ex devotione fidei, ego, **in procinctu itineris Iherosolimam proficiscendi** prenominati abbatis precibus annuens, notum fieri volo cunctis successoribus meis, me, ad instar incliti comitis Theoderici patris mei, concessisse et reconfirmasse universa que predecessorum meorum liberalitate vel principum simul et vulgarium munificentia ecclesie Sancti Bertini usque in presens sunt collata, quatinus eiusdem cenobii fratres, ea cum quiete et securitate sub divina meaque tuitione possidentes, pro meis excessibus intervenientes, me meaque omnia suis precibius Deo et Verbo gratie eius commendent. Statuimus igitur ut quicumque advocatus fuerit eiusdem ecclesie iuxta institutum Balduini Insulani iturus in regalem expeditionem semel in anno, unum baconem et unam pensam caseorum et unum sommarium, vel pro hiis unum marcam argenti ab abbe accipiat et singulis annis de unaqueque terra ipius ville de Arkas dimidiad firtalam avene habeat, eo pacto ut nil umquam de eadem villa qualicumque causa exigat aut accipiat et ut ecclesie oportunum sue defensionis auxilium non subtrahat. De spacio vero atrii vel curtis eiusdem cenobii et submanentibus vel servientibus monachorum qui in oppido Sancti Audomari et in comitatu advocati hospitantur, quod in prefati comitis privilegio prefixum est per omnia tenendum firmiter censemus. Insuper vero totam palustrem terram inter Arkas et Uetus Monasterium et vetustam Mere ad ius Sancti Bertini perpetuo pertinere censuimus. Preterea instituimus ut in cunctis parrochiis quas in castellaria de Brodburg Sanctus Bertinus habet, in Flandria quicquid decime de nova terra sive per secessum maris sive ex palustribus locis et nunc et in futurum accreverit, inde duas garbas hereditario iure beatus Bertinus una cum decimatione de berquariis vel vaccariis possideat. De libertate vero comitatus de Archas et de pascuis porcorum vel pecorum et de palustri terra que eidem ville circumiacet et de terminis quibus terminatur et de his que infra terminos aliquid utilitas habere videntur et de villa Wiserna cum tota arabili terra et wastina que extenditur usque ad terminos de Edekin et Longnesse et de ceteris omnibus que privilegiis senioris Roberti proavi mei continentur, quicquid conservandum et habendum ecclesie Sancti Bertini idem comes sancvit, nos quoque immutabili possessionis iure tenendum decernimus. Preterea comitatum de terra et de submanentibus vel hospitatibus quos Sanctus Bertinus habet in castellaria de Brodburgh liberum confirmamus, ea videlicet libertate quam Baldwinus et Karolus, predecessores mei, tempore Lamberti atque Johannis abbatum, post multas controversias inter illos et Theinardum castellanum habitas, cartis sigillatis ecclesiam Sancti Bertini habendam iudicio baronum determinaverunt, ut scilicet sanctus proprios scabinos haberet per quos de scultedum, id est de furibus, de latrociniis ac prorsus de omni lege et forisfactura tam maxima

quam infima placitaret. Homines etiam sancti de comitatu suo in Brodburch nullam opus quod *banwerc* vocant operari debent, nisi ubi homines mei ex communi indictu operantur et si moniti homines Sancti Bertini operari neglexerint, forisfactum eorum per iusticiam abbatis recipiatur. Homines autem Sancti Bertini de Poparinghem ab omni *bancwerc* in castellaria Furnensi liberos esse significamus. Et quoniam ministeriales villarum Sancti Bertini de Poparinghem ab omni *bancwerc* in castellaria Furnensi liberos esse significamus. Et quoniam ministeriales villarum Sancti Bertini multas et magnas iniusticias sepius in suis ministeriis faciunt, homines sancti depredando contra voluntatem monachi procreationem ville habentis et sine iudicio scabinorum coactas petitiones faciendo et plusquam decimum nummum de placitis que ad abbatem pertinent ecclesie violenter auferendo, ratam et inconvulsam decernimus conventionem olim inter Lambertum abbatem et Lambertum ministerialem de Poparinghem, teste capitulo, coram ecclesie hominibus carta et sigillo Sancti Bertini confirmatam, eandemque legem de ceteris ministerialibus ecclesie tenendam auctorizamus, ut scilicet nullus eorum vel per hereditariam successionem vel in feodum habeat suum ministerium, nec alio modo quam abbatii vel ecclesie dare placuerit, et ministerialis de Poparinghem decimum nummum tantum secundum prefatum conventionem de placitis iure suo accipiat. Forum etiam in eadem villa Poperinghem sexta feria in ebdomada perpetuo tenendum concessimus et navigium quando abbas et homines sui illud facere voluerint. Berquarias etiam vel terras quas pater meus in Ramescapla pro concambio ville de Helchin ecclesie dedit et decimas quas in eadem villa ab hominibus B[alduini] nepotis mei abbas emit vel in elemosina adquisivit similiter confirmamus. Pratum etiam in quod Balduinus de Commines ecclesie de Bas Uuarneston per manum meam in elemosinam dedit et totum quod in curia eadem calumpniatis fuit et coram me liberum clamavit. Nemus etiam de Wluerdinga quod pro salute anime mee et dilecte uxoris mee de patris mei dedi, et paludem quam Geraldus Houa per manum castellani domini sui in elemosinam dedit, et paludem de Honela et quicquid in Brugensi, Furnensi et Brodburgensi castellaria vel ubicumque in toto comitatu meo a triginta annis ecclesia Sancti Bertini possedit et impresentiarum iuste et sine contradictione possidet confirmamus. Decernimus etiam ut per totam terram nostram a theloni, pedagii et traverse exactione, sicut ex antiquis temporibus ecclesia semper libera fuit, in perpetuum libera permaneat. Censum etiam de mansuris quem ecclesia in burgo Sancti Audomari possidet de eisdem mansuris quod vulgo *relif* dicitur, quod in quinque solidis ab his qui aliis morientibus in possessionem succedunt, dari statutum est, iure nichilominus hereditario Beato Bertino libere et quiete possidendum confirmamus.

Huius confirmationis testes sunt: Gerardus Brugenensis et Sancti Audomari prepositus et cancellarius; Gerardus Insulensis prepositus; Gerardus Sancti Petri Gandensis; Robertus advocatus de Atribato; Willelmus castellanus Sancti Audomari; Oliverus de Maskelines; Willelmus de Locre.

Actum est hoc anno M<sup>o</sup>C<sup>o</sup>XC<sup>o</sup>.

**Nr. 740, De Oorkonden der Graven van Vlaanderen, Band III, pp.308-11**

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Ego Phylippus Flandrie et Uiromandie comes presentibus et futuris. Peregrinaturi ob Terram Sanctam in qua nos Filius Dei precio sanguinis sui de potestate dyaboli liberavit, ministerio nostro si dignabitur sed virtute sua ab immunda gente liberandam, dignum duximus hominibus terre nostre libertatem et immunitatem quam eis antecessores nostri retro principes indulserunt, conservare et confirmare. Super hac igitur re adeuntibus nos burgensibus Arie ut legibus et consuetudinibus approbatis libere uterentur quas ob iniurias

hominum perversorum propulsandas illustris comes Robertus et Clementia comitissa et Karolus comes et Willelmus successor eius et pie memorie Theodericus comes pater meus eis indulserant, nos quoque eisdem utpote quos erga nos devotiores estimamus easdem leges vel consuetudines tenendas et observandas libentissime indulgemus.

[1] In Amicicia igitur sunt duodecim selecti iudices, qui fide et sacramento firmaverunt quoniam in iudicio non accipient personam pauperis vel divitis, nobilis vel ignobilis, proximi vel extranei.

[2] Omnes autem ad Amiciciam pertinentes ville per fidem et sacramentum firmaverunt quod unus subveniet alteri tanquam fratri suo in utili et honesto.

[3] Quod si unus in alium admiserit aliquid verbere vel facto, sua illius qui leditur culpa non accipiet ultionem per se vel per suos qui Iesus est, sed apud prefectum domini comitis conqueretur si negocium ad eum attinet, ne domino comiti ius suum depereat et reus arbitrio duodecim iudicum selectorum admissum emendabit. Et si unus in alium aliquid admiserit verbo vel dampno, similiter non accipiet ultionem per se vel per suos qui Iesus est, sed apud prefectum Amicicie conqueretur si negocium ad eum attinet et reus arbitrio duodecim iudicum selectorum admissum emendabit. Quod quidem arbitrium si ledens vel Iesus sequi tertio admonitus noluerit, ipse et qui eum in hac pertinacia foverit, reus et periurus contra utile et honestum Amicicie quod iuraverat vadens, ab Amicicia communi eicietur et Amicicie in tribus libris nummorum condempnabitur, reliquum substantie eius domini comitis et castellani erit.

[4] De turpi convicio quinque solidos prefecto Amicicie et amico contumeliano infra octo dies dabit. Quod si primam ebdomadam illos quinque solidos non solvens neglexerit, in secunda ebdomada duplicabit, in tercia vero septimana triplicabit. Si autem hoc totum transgressus fuerit, reus et periurus de Amicicia pelletur et de sua substantia tres libras habebit communiter Amicicia et totum quod erit residuum comes et castellanus.

[5] Quod si aliquis suum coniuratum occiderit infra quadraginta dies, nullus amicorum mortui, nisi eo presente interfactus fuerit, potest de eo ultionem accipere vel cum qui interfecit de Amicicia pellere. Sed nisi infra quadraginta dies, secundum iudiciam selectorum iudicum, mortem amici emendaverit et nisi parentibus satisfacerit, ab Amicicia pelletur reus et periurus et de rebus illius tres libras habebit Amicicia communiter et totum quod remanet comes et castellanus. Et si duodecim iudicaverint per comitem et castellanum domus illius diruetur. Si vero amici mortui emendationem iudicatam nolunt accipere, eidem subiacebunt culpe quod tres libras dabunt et de Amicicia pellentur.

[6] Quod si aliquis de Amicicia res suas perdidierit, vel per furtum vel per rapinam, et ipse certa vestigia de re perdita invenerit, ad Amicicie prefectum querimoniam faciet, qui convocatis ville amicis, rem perditam investigabit, itinere unius diei in eundo et redeundo. Qui autem ire neglexerit Amicicie quinque solidos infra ebdomadam dabit.

[7] Si autem ille, qui non fuerit de Amicicia, aliquid homini de Amicicia abstulerit, prefectus Amicicie audita querimonia adhibitis testibus conveniet eum qui abstulit et si non composuerit cum illo cui rem abstulit, res ville venalis ei interdicetur

[8] Milites autem et vavassores de Amicicia existentes qui tallias et exactiones ville per suggestionem prefecti Amicicie solvere noluerint, si amico suo aliquid abstulerint, tanquam extranei eidem subiacebunt dampno, quod res venalis ville eis interdicetur. Et quicumque post bannum factum eis aliquid vendiderit vel ab eis emerit aut in hospicio

recepérunt, si per duos de amicis inde convinci poterit, quinque solidos Amicicie communiter dabit et amico sua restituēt.

[9] Hęc erit lex universalis de omnibus que auferuntur. Quod si quis, qui non est de Amicicia, turba parentum fretus homini de Amicicia iniuriam in verbo vel facto fecerit, ille ad Amicicie prefectum conquereret et nisi culpabilis ad honorem illius in quem peccavit emendaverit et emendationem arbitrio duodecim iudicum selectorum, prefecto comitis et Amicicie solverit, res venalis ville ei interdicetur donec ei se composuerit. Et si quis post bannum factum ei aliquid vendiderit vel ab eo emerit et inde convinci poterit Amicicie communiter quinque solidos infra octo dies dabit.

[10] Si vero tumultus in villa evenerit, qui de Amicicia est, et ad tumultum auditum non venerit et auxilium non feret pleno corde, prout tempus dictaverit, Amicicie communiter quinque solidos infra octo dies dabit.

[11] Si vero homo, qui non est de Amicicia, amicum ville vulneraverit vel etiam occiderit et de villa fugerit et capi non poterit, quandocumque eum sive post annum seu post duos vel tres annos aut plures ab amicis ville poterit teneri, statim prefecto comitis presentetur, ipsis graviter conquerentibus et una voce deprecantibus ut secundum arbitrium duodecim iudicum selectorum ultionem de illo faciat. Et si forte eum occiderint nullum forisfactum ab eis comes exigere poterit. Et si quis ad capiendum illum se substraxerit, Amicicie viginti solidos infra octo dies dabit et quadraginta solidos comiti et castellano.

[12] Omnis qui ad forum ville venerit, nisi sit homicida, de amicis ville pro honore comitis et pro utilitate ville salvus sit eundo et redeundo in die fori, si inducas prefecto comitis et prefecto Amicicie postulaverit. Homicida vero de amicis ville ad forum veniens, statim sicut supradictum est, capiatur et prefecto comitis presentetur et qui se substraxerit viginti solidos de rebus suis Amicicia communiciter habebit et quadraginta solidos comes et castellanus.

[13] Clerici non cogentur inferre ultionem, nisi de debitiss.

[14] Si vero aliquui domus sua combusta fuerit vel aliquis captus se redimendo attenuatus fuerit, unusquisque paupertato amico nummum unum in auxilium dabit.

[15] Preterea sciendum est quod **lex Amicicie ius comitis non destruit, nec Amicicie legem delet ius comitis.** Nam quocumque modo amicus in amicum forisfaciens se composuerit, si contumeliano amico visum fuerit ab Amicicie lege emendationem suam habebit.

Has igitur leges et consuetudines Amicicie Ariensium et si quid meliorari potest consilio duodecim iudicum selectorum ad honorem et utilitatem totius ville, salva fidelitate comitis, sicut antecessores nostri concederunt et confirmaverunt, nos quoque eis concedimus et sigilli nostri appensione confirmamus.

Preterea terram illam pascualem, que est inter Belti et Lambres, quam predicti burgenses a domino Roberto comite et Clementia comitissa prece et precio, sicut eorum scripto edocemur, obtinuerunt, eisdem burgensibus nostris in perpetuum liberam et immunem in communem possessionem confirmamus.

Actum est hoc anno Domini M<sup>o</sup>C<sup>o</sup>LXXXVIII<sup>o</sup>, apud Ariam, sub his testibus.

Signum Gerardi Brugensis prepositi. S. Gerardi Insulensis prepositi. S. Roberti Betuniensis advocati. S. Johannis Insulensis castellani. S. Willelmi Audomarensis castellani. S. Gilleberti Bergensis castellani. S. Rassonis de Gauera. S. Baldevini de Aria. S. Gilleberti de Aria. S. Renaldi de Aria. S. Balduini Flael.

### **Gislebert of Mons, pp.248-49**

Cum autem comes Flandrie et Viromandie Philippus, vir illustris et potentissimus, bonus ecclesiarum et hominum justiciarius, cruce Domini signatus, iter Jherosolitanum arripiens, peram et baculum apud Gandavum accepisset, mense Septembri, et **presentibus comite Hanoniensi et ejus uxore Marghareta comitissa et filiis eorum, ipse comes terram suam custodie et protectioni uxoris sue Mathildis regine commisit**, et de pecunia sue valens 50 marchas argenti secum portans, uxori sue Mathildi, que se reginam nominari faciebat, 40 marchas dimisit.

### **Gislebert of Mons, p.259**

...que se reginam appellari faciebat...

### **Nr. 766, De Oorkonden der Graven van Vlaanderen, Band III, pp.340-41, here p.341**

...illustris consortis mee Mathildis regine...

### **Nr. 844, De Oorkonden der Graven van Vlaanderen, Band III, pp. 448**

Ego M[athildis] regina et coniunx comitis Flandrensis, notum facio universis tam presentibus quam futuris, quod illustrissimus vir meus P[hilippus], comes Flandrie et Viromandie, capellam suam dedit in elemosinam ecclesie Clareuall(ensi), quod etiam ego concessi, dans similiter eidem ecclesie quicquid ad me de eadem capella pertinuit. **Hoc autem ea est conditione factum ut ipsa capella nullis temporibus alienetur ab eadem ecclesia Claruall(ensi).**

Testes sunt: Gil[bertus] abbas Fusniaci, et Guido abbas Ursicampi, et Fern(adus) abbas Clarmomarenci, Fern(andus) abbas Superaddi, et frater Ger(ardus) quondam abbas Alne, et frater Johannes de Possessa.

Actum anno incarnationis dominice M<sup>o</sup>C<sup>o</sup>L<sup>o</sup>XXXX<sup>o</sup>.

### **Nr. 848, De Oorkonden der Graven van Vlaanderen, Band III, pp.453-44**

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancte, amen.

Ego Mathildis regina illustris Flandrie et Viromandie comitis Philippi uxor, omnibus nec legentibus vel audientibus salutem. Quoniam dies nostri sicut umbra pretereunt dignum est ut que a nobis bene gesta sunt scribantur in generatione altera, ne de his que nostra vel aliorum ordinavit devotio aliqua apud posteros malignandi oriatur occasio. **Omnibus igitur tam futuris quam presentibus notum esse volo, quod domino et marito meo Philippo comite Iherusalem profecto, cum idem comes michi totius terre sue potestativam et plenissimam commisisset iurisdictionem**, quidem diu miles Drogo de Sailli advocaturam quondam, quam in villa Sancti Vedasti qui dicitur Vallis super Summam habebat, Sancto Vedasto in elemosinam dare disposuit. Sed quia **id legitime sine meo assensu facere non**

**poterat, quia de meo erat feodo** eandem advocationem, unacum Johanne filio suo et ceteris heredibus in presentia mea et hominum meorum me assentiente et approbante legitime guerpivit, insuper et feodum meum quem per eandem elemosinam minuere videbatur de allodiis suis iuxta hominum meorum arbitrium et approbationem accrevit.

Ego igitur ob Dei amorem et domini mei comitis Phylippi temporalem et eternam salutem eandem advocaturam de manu Drogonis recepi et ecclesie Sancti Vedasti reddidi presentique scripto et sigilli mei impressione corroborans. Nomina hominum meorum qui presentes approbaverunt et a me requisiti et coniurati advocationem illam Drogoni et omnibus heredibus eius abiudicaverunt et ecclesie Sancti Vedasti concorditer adiudicaverunt, nomina subscribi precepi.

Signum Guidonis de Hosden. S. Joannis castellani de Insula. Signum Renaldi Bote. S. Roberti de Buyres. S. Theobaldi Cosset. S. Balduini de Albinaco. S. Roberti de Ypra. S. Balduini de Haveskerch.

Actum Atrebatii, anno Verbi incarnate M<sup>o</sup>C<sup>o</sup>X<sup>o</sup>I<sup>o</sup>.

**Nr. 849, De Oorkonden der Graven van Vlaanderen, Band III, pp.454-57**

In nomine sancte et individue Trinitatis.

Quoniam ea que aguntur tractu temporis evanescunt et oblivione depereunt inveterata, consulte agitur si bene gesta litterarum memorie commendentur. Igitur ego regina Mathildis, Philippi illustris comitis Flandrie et Uiromandie uxor, notum fieri volo presentibus et futuris, qualiter lis et contentio inter ecclesiam Uiconensem et Gerardum de Sancto Oberto diu agitata super possessionibus de Harcies et Hatengies, coram me, consilio curie domini comitis et sapientum virorum, sit sopita et ad concordiam revocata. Cum itaque prefata ecclesia frequentissime lacrimosas et intollerabiles conquestiones detulisset ad dominum comitem super oppressione eiusdem G[eradi] de Sancto Oberto in prefatis possessionibus, nec dominus comes illam discordiam posset terminare, tandem eodem domino meo comite Iherosolimam peregre profecto, a prefata ecclesia urgente necessitate eadem querela ad meam audientiam est relata. Ego igitur volens tam diuturnam discordiam ad pacem revocare, G[erardum] de Sancto Oberto coram me citavi, ipsumque super oppressione ecclesie conveni. Ille vero summa precum instantia postulavit ut quicquid possessionis avus eius G[erardus] Malus Privignus et pater eius Egidius de Sancto Oberto et ipsem postquam ad terram venerat, habuerunt in Harcies et Hatengies, eidem in pace conservarem. Abbas econtra respondit, quod nec ipse G[erardus] nec antecessores eius quicquam de iure in illis territoriis possederunt. Tandem ad preces illius G[erardi] et consensu abbatis ad loca unde agebatur transmisi Johannem Insulensem castellanum, Gossu[inum] de Sancto Albino et Pe[trum] de Duaco, necnon et multos de hominibus domini comitis; sed et comes Haioniensis ex parte etiam sua illuc misit Willelmum fratum suum et Alamannum de Proui, Paulum quoque de Uillari et alios quam plures, ut homines comitis Hainonensis venire compellerent qui inquisidores prefatos quos miseram de veritate instruerunt, scilicet quid prefatus G[erardus] vel antecessores eius in locis illis habuerint aut qualiter possederint. Ad hanc vero inquisitionem convenerunt abbates de Ualcellis, de Fosn[iaco], de Boheiries, de Claro Fonte; affuerunt etiam viri prudentes de Monte Sancti Martini, de Uiromandia, de Castello Cameracensi, milites quoque et clerici multi circumquaque manentes, servientes qui tempore Egidii de Sancto Oberto fuerant, rustici etiam habitatores illius terre et homines diverse conditionis, qui omnes testimonium perhibentes veritati, prefatos inquisidores qui missi fuerant de veritate fideliter instruxerunt. Intellecta igitur et cognita veritate, Johannes castellanus Insulensis et socii eius et alii nuncii qui missi fuerant ex parte comitis

Hainoniensis apud Attrebatum in mea presentia constituti, astantibus G[erardo] de Sancto Oberto et abbe Uiconiensi et hominibus domini comitis, omnia que docti fuerant, referente castellano Insul(ensi), eo ordine quo acceperant recognoverunt, annis siquidem LX et amplius evolutis, tempore videlicet G[erardo] Mali Privigni, avi istius G[erardi], cum Aroasia adhuc silvis condensa raro aut nullo habitatore coleretur, conversus quidam ecclesie Uiconiensis apud Harcies et Hatengies cepit esse novus incola terre. Qui multem profectui satagens nec ad votum proficiens, a prefata ecclesia Uiconiensi socios sibi accepit de fratribus. Qui liberalitate militum et hominum circummavientium per elemosinas et aliis legitimas acquisitiones fines suos ampliarunt et totum territorium de Harcies et Hatengies sibi in usus proprios acquisierunt. Postmodum, succedente tempore, Egidius de Sancto Oberto, filius videlicet prefati G[erardi] Mali Privigni, videns silvas illas et nemora in novalia redigi, usumque venandi sibi imminui, a fratribus ibidem manuentibus quandoque accipiebat C solidos, X libras, XV, XX nec plus nec minus, ut eis liceret extyppare. Non enim licet nichil terre vel nemoris ab ipso vel patre eius acceperant, eo nolente sartare poterant quippe non iure eis sartare contradicebat, sed quia tantam habebat idem E[gidiu]s in locis illis tunc temporis potestatem, volens tamen quodam tempore cuidam opidano Duacensi Johanni Crispino ligna dare ad edificandum, non potuit; nam fratres, quorum iuris erat, carpentarios et incisores qui ligna illa cedeabant a nemore expulerant. Monachi etiam de Ualcellis cum per dominum E[gidium] ligna in prefato nemore incidere vellent, similiter a sepeditis fratribus expulsi sunt. In nemore autem quod contiguum est ad Bocheing accipiebat idem Eg[idiu]s ligna ad usus suos ad comburendum, ad vendendum vero nichil. Quicquid vero extyppabant fratres incisis nemoribus eis remanebat in pace et ab omni exactione immune. Postea vero sepeditus E[gidiu]s penitentia ductus quod unquam huiusmodi exactiones a fratribus accipisset, coram multis clericis, militibus et aliis varie conditionis hominibus, se male egisse et nil iuris in silvis de Harcies et Hatengies se habuisse recognovit et privilegium sigillo suo et testabiliu virorum testimonio munitum, quo Uiconiensis ecclesia predicta territoria cum silvis et pascuis perpetuo in pace et tranquillitate possideret, consentiente uxore sua Mathilde et liberis suis Egidio et G[erardo], legittime contradidit. Quibus ita gestis, dum iam dicta ecclesia partem silve sue venderet, eodem Egidio peregre profecto, uxor eius Ma[thildis] et filius eius G[erardus] reclamaverunt et contra privilegium domini Egidii nitentes, clientes suos ad venditionem nemoris cum clientibus ecclesie miserunt et a Godfrido tunc abbe minus cauto, dimidium precii insuper et X libras extorserunt. Interea recognitum est coram me ibidem secundum veritatis inquisitionem, **quod ecclesia Uiconiensis** ubique in Harcies et Hatengies **libere debet habere terras**, silvas, pascua. Audita igitur inquisitione tam sollempniter facta, de consilio sapientum virorum consideravi non debere cedere in preiuditium et gravamen ecclesie, que ante gesta fuerant voluntate pocius quam lege, nec iure vel ratione, sed violentia et potestate.

Ne igitur in posterum ecclesia Uiconiensis ullis possit vexationibus super predictis inquietari, hanc considerationem tam sollempniter factam et veritatem pro ut testimonio tot hominum est comperta, in scriptum redigi et scriptum exinde factam sigilli mei impressione et subscriptarum personarum patrocinio confirmavi.

Signum ducis Henrici Braibantie. S. Sigeri castellani Gandensis. S. Johannis castellani Insulensis. S. Petri Duacensis. S. Hugonis de Lambres. S. Gossuini de Sancto Albino. S. Petri custodis de Sancto Quintino. S. magistri Martini clericu domine regine. S. Wilelmi fratriis comitis Hainoniensis. S. Almanni de Proui. S. Pauli de Uillari. S. Egidii de Bermereung. S. Werrici Taisson.

Actum Verbi incarnati anno M<sup>o</sup>C<sup>o</sup> nonagesimo primo.

**Chronique d'Ernoul et de Bernard le Trésorier, ed. M.L. de Mas Latrie (Paris, 1871), p.291**

Quant li quens Henris de Campagne mut pour aler en le tiere d'Outremer, il estoit tenans et prendans de le conté de Campagne. Il le bailla et laissa à sa mere **en baillie et en garde**; et elle li envoia tant com il vesqui les rentes de le tiere.

**Burchard of Ursberg, 'Burchardi Praepositi Urspergensis Chronicon', MGH SRG (Hanover, 1916), p.69**

**Ut autem hec tam utilis ordinatio omni tempore rata permaneat et eo, quo edicta est, tenore inconvulta consistat, eam legibus predecessorum nostrorum imperatorum atque regum iussimus interseri et perpetuo iure servari. Cui si quis ausu temeritatis contraire presumpserit, Dei omnipotentis et nostre perpetuo indignationis sit reus. Fiat, fiat!**

**Nr. 69, MGH Die Briefen der deutschen Kaiserzeit 7 (Munich, 1995), pp.118-20, here p.120**

**Hac etiam in re sollicite discretio vestra debet attendere, quantum, ut familiariter vobis loquar, commodum toti regno proveniret ex concordia vestra et quantum incommodum ex discordia,** cum eius vires tanquam maximi principis in imperio sepius expertus sitis in bono, quas procul dubio procedente discordia maiores experiemini in malo, precipue cum fautores sue partis plurimum ei auxilium odio vestri nominis dent, honoris quoque mei promotione, quem ipse potest et plurimum impedire et promovere.

**Otto of St Blasien, Chronica', MGH SRG (Hanover, 1912), p.44**

Anno dominice incarnationis M<sup>o</sup>CLXXXVIII. Fridricus imperator generalem curiam in media quadragesima Maguncie celebravit ibique per totam Germaniam sedatis bellorum turbinibus pace undique reformata rei publice negocia tractavit. Ad quam legati sedis apostolice venientes imperatori desolationem transmarine ecclesie scriptis et verbis ex persona domni apostolici ac tocius ecclesie conquesti representaverunt patrociniumque Romani imperii per eius auxilium imploraverunt. Qui habita deliberatione ad subveniendum se obtulit acceptaque cum filio, Friderico scilicet duce Svevorum, peregrinationis cruce in remissionem peccatorum crucis ignominiam se vindicaturum publice denunciavit et ad idem negotium sui exemplo multos regni optimates cum multitudine diverse condicionis et etatis accendit.

**'Annales Pegavienses et Bosovienses', MGH SS, vol. 16, p.266**

Post diem purificationis sanctae Mariae marchio Otto Misnensis a filio suo Adelberto capitur, et ea provincia propterea incursionibus utrique parti faventium turbatur.

**'Cronica Reinhardsbrennensis', MGH SS 30 part 1 (Hanover, 1896), p.544**

Postremo autem **de mandato regis pater a captivate redemptus**, post modicum temporis viam universe carnis ingrediens...

**Rigord, Histoire de Philippe Auguste, ed. and trans. É. Carpentier (Paris, 2006), p.274**

Ubi, accepta licentia ab omnibus baronibus suis, Adele karissime matri sue et Guillelmo Remensi archiepiscopo, avunculo suo, pro tutela et custodia totum regnum Francorum cum filio suo dilectissimo Ludovico commendavit.

### Rigord, pp.276-78

**In primis igitur precipimus ut ballivi nostri per singulos prepositos in potestatibus nostris ponant IIII<sup>or</sup> homines prudentes, legitimos et boni testimonii, sine quorum vel duorum ex eis ad minus consilio negotia ville non tractentur, excepto quod Parisius VI homines probos et legitimos constituimus quorum nomina sunt hec, T. A. E. R. B. N.**

Et in terris nostris que propriis nominibus distincte sunt baillivos nostros posuimus qui in balliviis suis singulis mensibus ponent unum diem qui dicitur assisia, in quo omnes illi qui clamorem facient recipient jus suum per eos et justicia sine dilectione et nos nostra jura et nostram justiciam et forefacta que proprie nostra sunt ibi scribenter.

**Preterea volumus et precipimus ut karissima mater noster A[dela] regina statuat cum karissimo avunculo nostro et fidei Guillelmo Remensi archiepiscopo singulis IIII<sup>or</sup> mensibus unum diem Parisius in quo audiant clamores hominum regni nostri et ibi eos finiant ad honorem Dei et utilitatem regni.**

### Rigord, pp.278-80

**Si forte contigerit sedem episcopalem vel aliquam abbaciam regalem vacare, volumus ut canonici ecclesie vel monachi monasterii vacantis veniant ante reginam et archiepiscopum, sicut ante nos venirent, et liberam electionem ab eis petant; et nos volumus quod sine contradictione eis concedant. Nos vero tam canonicos quam monachos monemus ut talem pastorem eligant qui Deo placeat et utilis sit regno. Regina autem et archiepiscopus tamdiu regalia in manu sua teneant donec electus consecratus sit vel benedictus et tunc regalia sine contradictione ei reddantur.**

### Rigord, p.284

**Precipimus etiam regine et archiepiscopo ut omnes honores qui, dum vacant, pertinent ad donationem nostram, quod honeste poterunt retinere, sicut abbacie nostre et decanatus et alie quedam dignitates in manu sua teneant donec a servicio Dei redierimus. Et quos retinere non poterunt, donent secundum Deum et assignent consilio fratris B[ernardi], et hoc faciant ad honorem Dei et utilitatem regni. Si autem in via moreremur, volumus ut honores et dignitates ecclesiarum donent illis quos magis dignos viderint.**

### Rigord, p.282

**Preterea precipimus quod omnes redditus nostri et servicia et obventiones afferantur Parisius per tria tempora: primo, ad festum sancti Remigii. Secundo, ad Purificationem beate Virginis. Tertio, ad Ascensionem et tradatur burgensibus nostris predictis et P[etro] marescallo. Si contingeret aliquem ex eis mori, G[uillelmus] de Garlandia alium in loco ejus substitueret.**

### Nr. 363, Recueil des actes de Philippe Auguste, pp.445-46

Philippus Dei gratia Francorum rex. Noverint universi quod karissimus consanguineus et fidelis noster Hugo, dux Burgundie, et Odo, filius ejus, compromiserunt quod, si quando Beatrix, uxor jamdicti ducis Hugonis, voluerit descendere ad terram suam Viennensem vel ad aliam terram suam comitatus Albonii, licebit ei descendere cum Odone, filio Hugonis ducis, a Quadragesima in annum unum, ita tamen quod cum ipso oportebit eam reverti. Et si forte, quod absit, virum suum Hugonem ducem interim in peregrinatione sua sorti cedere contingerit humane, cognita veritate sui decessus, libere exinde et absolute poterit descendere

ad terram comitatus Albonii, et Odo de toto posse suo, bona fide et absque omni impedimento, eam conducet. Et si de supradictis vel de suo dotalico a viro sibi assignato Odo vel aliquis pro ipso ei aliquam irrogaret molestiam vel injuriam, nos, **ex voluntate Hugonis ducis et Odonis, filii ejus, ei bona fide tenemur auxiliari et manutener.** Quod ut firmum et stabile permaneat, sigilli nostri auctoritate et regii nominis caractere inferius annotato precepimus communiri. Actum apud Moransium, anno incarnati Verbi M<sup>o</sup>C<sup>o</sup> nonagesimo, regni nostri anno undecimo, astantibus in palacio nostro quorum nomina supposita sunt et signa.

### Rigord, p.284

**Precepit etiam civibus Parisiensibus quod civitas Parisii quam rex multum diligebat muro optimo cum tornellis decenter aptatis et portis diligentissime clauderetur. Quod brevi temporis elapso spatio, completum videmus. Et hoc idem in aliis civitatibus et castellis fieri mandavit per totum regnum.**

### Nr. 287, Recueil des actes de Philippe Auguste, pp.348-49

Philippus, Dei gratia Francorum rex, et Ricardus, eadem gratia rex Anglie, dux Normannie et Aquitanie et comes Andegavie, omnibus fidelibus ad quos litere iste pervenerint in Domino salutem. Noverit universitas vestra quod inter nos firmiter convenit et de consilio prelatorum ecclesie et principum terrarum nostrarum disposuimus ut iter Jerosolimitanum, ducente Domino, simul perficiamus, **et uterque nostrum alteri bonam fidem et bonum amorem se servaturum promisit**, ego Philippus, rex Francorum, Ricardo, regi Anglorum, tanquam amico et fideli meo, et ego Ricardus, rex Anglorum, Philippo, regi Francorum, tanquam domino meo et amico. Statuimus itaque ut omnes crucesignati in terris sub nostra potestate constitutis infra octavas Pasche, vel nos precedant, vel in termino illo nobiscum eant, nisi de voluntate et conscientia nostra remanserint. **Si vero aliqui aliter remanere presumpserint, et persone excommunicationi et terre eorumdem subjicientur interdicto auctoritate prelatorum terrarum utriusque nostrorum.** Volumus etiam, statuimus et precipimus ut qui terris nostris preerunt, si opus fuerit, mutua sibi subventione succurrant. Eorum autem bona qui iter Jerosolymitanum vel nobiscum vel ante nos arripuerint, ita illesa et intacta permaneant tanquam nostra propria; et si quis eis injuriam irrogaverit, justitiarii et bailivi nostri faciant emendari quantum de jure poterint secundum consuetudinem terrarum nostrarum. **Si vero aliquis in aliqua terrarum nostrarum guerram movere presumpserit in absentia nostra nobis vel alicui de terris nostris, et ad justitiam se non offert, primo excommunicetur, et post excommunicationem, nisi infra XL dies forisfactum suum emendaverit, decernimus ut ipse et heredes ejus imperpetuum exheredentur;** feudi autem illius qui per forisfactum suum exheredatus fuerit, transeant in proprietatem et dominium propinquioris domini a quo feodi movebunt. Preterea quicumque in aliqua terrarum alterius nostrum forisfecerit et forisfactum emendare noluerit, in terra alterius non receptetur, et, si ibi inventus fuerit, justitiariis illius terre in qua deliquit reddatur. Ad hec autem que supra diximus observanda justitiarios et bailivos nostros sibi invicem volumus et precipimus teneri et obligari usque ad redditum nostrum sub tenore juramenti et fidelitatis quam nobis prestiterunt. Acta sunt hec XXX<sup>o</sup> die decembris, apud Nonancurt.

**Nr. 381, Recueil des actes de Philippe Auguste, pp.471-72**

**Philippus Dei gratia Francorum rex.** Noverint universi presentes pariter et futuri quod frater Sansan, abbas Sancti Abdoeni Rotomagensis, et conventus ejusdem loci tradiderunt ad firmam manerum suum de Condato, cum pertinenciis suis, Gaufrido, preposito nostro Silvanectensi, et heredibus suis, si forte idem Gaufridus infra terminum decesserit, pro ducentis libris Andegavensium, quas incontinenti receperunt, et pro centum libris ejusdem monete, in aquitatione predicti maneri ponendis, termino conventionis incepto anno Domini M<sup>o</sup>C<sup>o</sup> nonagesimo, a festo sancti Andree illius anni usque ad quinque annos duraturo. Evoluto autem termino horum V<sup>que</sup> annorum, prefatus Gaufridus dimittet eis vel ejus heredes totum manerum quietum et terras illius manerii adeo tam bono semine seminatas ad ivernagium quam bono ad opus suum seminaret. Preterea idem Gaufridus comodabit predicto abbati vel conventui quadraginta libras Laudunensium, donec ei in tempore vindemiarum sequentium de blado vel de vino, postquam suum manerum receperint, reddantur. Prefatus etiam Gaufredus pro carugis eorumdem tredecim libras Laudunensium reddere tenebitur vel ipsas carugas tantum valentes quantum valebant quando eidem Gaufrido maneram tradiderunt. Hoc autem tenendum concesserunt et affidaverunt Ansoldus, filius ejusdem Gaufridi, et Johannes Poe, gener ejus, prout idem Gaufridus testificatus est. Quod ut ratum et inconvolsum sit, sigilli nostri auctoritate confirmatur, astantibus Andrea, cambellano nostro, Althono de Gravia, Petro Marescallo, Ebroino Reimbodi. Data anno Verbi incarnati M<sup>o</sup>C<sup>o</sup> XC<sup>o</sup> primo.

**Nr. 391, Recueil des actes de Philippe Auguste, pp.481-82**

In nomine sancte et individue Trinitatis. Amen. Philippus Dei gratia Francorum rex. Noverint universi presentes pariter et futuri quod Hugo Cambellanus vendidit, et uxor ejus, VI arpenta terre site retro cortilliam Methei, filii Tiberti, pro XXVII libris, Andree, dilecto cambellano nostro. Venditionem vero istam tenendum et garantizandum super omnia sua fiduciavit predictis Hugo, et eam concesserunt fratres uxorius sue, scilicet Philippus et Stephanus et Hemericus et Tibaldus Frogerii, et etiam eam in manu ceperunt super omnia que habent. Hujus rei testes sunt Atho de Gravia, et Bernerius de Gravia, et Hugo de Mollento, et Nicolaus Bocelli et Ebroinus Reinbodi. Quod ut ratam et inconcussum permaneret, sigilli nostri auctoritate confirmatur. Nos vero prepositis et ballivis nostris precipimus quatinus ipsi istam conventionem et omnes alias sigillo nostro confirmatas illibate **faciant observari**. Actum anno Verbi incarnati M<sup>o</sup>C<sup>o</sup>XC<sup>o</sup>I<sup>o</sup>, mense julii.

**History of William Marshal, vol. 2, ed. A.J. Holden trans. S. Gregory (London, 2004), pp.76-81**

E dist “Se l’om m’ëüst laissié

Ma terre en pais quite tenir,

Qu’il ne m’en esteüst venir,

Tote la terre as Suliens

Fust nete e quite des paiens,

Que mais n’i eüssent puissance;

Mais tant a fait li reis de France

Envers mei mal e mesprison,

E mist conseil en ma prison  
 E en mal tenir longement  
 E en mon desheritement  
 A lorc tens tendu e tendra;  
 Mais, si Dieu plaist, ja n'avendra.”  
 Li cardonals, al chief de pose,  
 Parla a lui d'une autre chose  
 E dist; “Sire, oiez ma devise:  
 S'une longe trieve fust prise  
 Entre vos deus, almosne fust,  
 Si que nuls perte n'i eüst.”  
 E li reis respont: “Beal sire mestre,  
 Si ceste trieve poeit estre,  
 Si que ge perte n'i eüssse  
 Ne que ge descreüz n'en fusse,  
 Molt en sereie talentis,  
 Si l'otreiereie ad tot dis.  
 Dites la forme; ge l'osrai  
 E ja ne vos en mesosrai,  
 S'ele puet eisi avenir,  
 Ainz me plaira molt a tenir.”  
 Li cardonals dist: Sire, veir,  
 Chascuns ne peut pas tot aveir  
 Ce qu'il voldreit, n'eisi avient;  
 Mais tienge chascun ce qu'il tient,  
 Si seit la truie isi juree.”  
 “Ja ceste truie n'ait duree!”  
 [pp. 78-79 omitted]

**Ja garant ne vos fust Romme**

**Que vos n'en portissiez tel somme**  
**Qu'os mostrissiez a l'apostoire**  
**Por aveir mes faiz en memorie.**  
 L'apostoire me tient por fol;  
 Bien sai qu'il m'estendi le col  
 Quant g'enveiai a lui de loing  
 E gel requis por mon besoing,  
 Qu'el servise Dieu ere pris,  
 Si li preiai molt e requis  
 Qu'a mon besoing me secorust  
 Ou il feïest ce qu'il deüst;  
 Unques ne s'en volt entremetre  
**N'onques n'i deigna peine meitre.**  
 Or me requiert d'un robeor,  
 D'un tyrant e d'un ardeor,  
 Qui tant se delitout en guerre  
 Qui tote m'essillout me terre  
 E barreout e nuit e jor.  
 Fuiez de ci, dant traïtor,  
 Mentieres, trichieres e fals  
 E d'iglises simonials!  
 Gardez que en champ ne en veie  
 Ja mes devant mei ne vos veie!"  
**Li legaz s'en parti ilors,**  
**Quer tart il fu que il fust hors;**  
**Il ne retornast por sa croiz,**  
**Qu'il i cuidast perdre les coiz,**

**Nr. 2, *Selected Letters of Pope Innocent III concerning England (1198-1216)*, ed. and trans. C.R. Cheney and W.H. Semple, pp.3-8, here p.4.**

...noveris nos eidem nostris litteris iniunxisse ut predictam pecuniam sine difficultate qualibet restituere non omittat, alioquin venerabili fratri nostro . . Salzburgensi archiepiscopo litteris nostris iniungimus ut ipsum ad restitutionem eiusdem pecunie faciendam moneat diligentius et inducat, et per severitatem ecclesiasticam appellatione remota compellat. **Verum quia circa personam nobilis viri . . ducis Suevie quedam audivimus immutata, eidem ad presens scribere cautela prohibente nequivimus**

**Nr. 2, *Selected Letters of Pope Innocent III concerning England*, here p.8**

...non potuimus salva iustitia in ipso negotio sine veritatis inquisitione procedere.

**Nr. 212, *De Oorkonden der Graven van Vlaanderen (1191-aanvang 1206)*, ed. W. Prevenier (Brussels, 1964), pp.434-35**

Ego Balduinus, Flandrie et Hanonie comes, notum esse volo presentibus et futuris quod, cum ecclesia Sancti Bertini adversus burgenses meos de Sancto Audomaro diu placitasset super quibusdam paludib; **quia in procinctu proficisci Iherosolimis eram, ne aliqua in terra mea discordie occasio remaneret tempore peregrinationis mee, rogavi abbatem sancti Bertini ut querelam istam usque ad tres annos indutiaret, vel usque ad redditum meum, si me reverti ante contigeret;** ita quod in predictis paludibus interim nemo foderet, sed usuagium herbe et pasture communiter, sicut per aliquot annos habuerant, omnes haberent. Quod quia abbas ad preces meas benigne concessit, assignavi ecclesie Sancti Bertini apud Bruges decem libras annuatim de brevibus Gerardi de Renwenscure in Purificatione beate Marie accipendas, quamdiu prescriptum tempus duraverit; ita quod, si me a Iherosolimis reverti contigerit, et predictas decem libras annuatim assignatas rehahere voluerim, vel heres meus, si forte obierem, aut si ecclesia Sancti Bertini, resignato michi vel heredi meo redditu predictarem decem librarum, litem suscitare voluerit, querela in eo quo nunc est puncto et statu esse debet.

Que omnia ut mihi, vel heredibus meis, et ecclesie et burgensibus meis rata permaneant et inconvulsa, conventionem istam presenti scripto et sigillo meo et eorum quorum subscripta sunt nomina testimonio confirmo; videlicet Gerardi Flandrie cancellarii, Brugensis, Sancti Audomari et Insulensis prepositi; Willelmi, castellani Sancti Audomari; Simonis, abbatis de Laude; Balduini, abbatis de Cambrun; magistri Iohannis Noviomensis; Gerardi de Renwenscure; Stephani Romani, canonici Sancti Audomari.

Actum anno Verbi incarnati M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>II<sup>o</sup> octavo idus aprilis.

**Nr. 606, *Layettes, vol. 1* p.224**

Ego Odo dux Burgundie notum facio tam presentibus quam futuris quod, **cum karissimus consanguineus et fidelis meus Th. comes Trecensis Dominice cruce vexillum assumpsisset et vellet Jherosolimam proficisci, ad precum ejus instantiam, ipsi et heredibus ejus in perpetuum concessi quod nec ego nec heredes mei de feodo, quod dictus comes de me tenet, de quo eum in hominem meum recepi**, et de quo comites Campanie homines fuerunt ducum Burgundie, permittemus ipsum vel heredes suos in nostra vel in alicujus alterius curia in causam trahi, aut modis aliquibus fatigari. Set contra omnem hominem vel feminam de feodo illo ego et heredes mei prefato comiti et heredibus suis in

perpetuum portabimus garantium. – Quod ut notum permaneat et ratam habeatur litteris annotatum, sigilli mei munimine roboravi. Actum apud Pruvignum, anno incarnati Verbi M<sup>o</sup> ducentesimo.

**Nr. 251, Prevenier, *Oorkonden*, pp.522-53**

**Ego Maria Flandrensis et Hainoe comitissa, notum fieri volo viventibus universis, quod ex mandato et dono et eelemosina domini et mariti mei B[alduini] Flandrensis et Hainonie comitis, feci assignari ecclesie beati Petri Ariensi in molendino quod est iuxta pontem castri, quinque raserias frumenti, etc.**

Actum anno gratie M CC II, mense februario.

**Nr. 266, Prevenier, *Oorkonden*, pp. 551-553, here p.553**

Noverint universi tam presentes quam futuri, quod ego M[aria], Fland[rie] et Hain[onie], comitissa, cognosco et approbo quod B[alduinus] Flandrie et Hainonie comes, dominus et vir meus dilectus, dedit in elemosinam hospitali gloriose Virginis in Audenarde locum, in quo fundata sunt duo molendina, terram etiam que extendit se a molendinis usque ad murum, et preterea terram et aquam a molendinis supra usque ad portam de Beura. Volo etiam et precipio meo baiulo quicumque sit, ut predictum hospitale, et omnia que possidet in suo iure et in omni pace teneri faciat, et ea sicut que mea sunt protegat et defendat.

Ut hec igitur firmum esset et stabile, munimine sigilli mei feci confirmari.

Actum anno Verbi incarnati M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> III<sup>o</sup>, apud Male.

**Nr. 262, Prevenier, *Oorkonden*, pp.546-47**

**Notum sit omnibus, tam presentibus quam futuris, quod ego M[aria], Flandren[sis] et Hainon[ensis] comitissa, ecclesie beate Marie de Curtraco dedi partem illam, quam dominus meus et ego habemus in terra illa, quam dominus Egidius, dilectus capellanus noster, tenet ex nobis; ita tamen, quod prefatus capellanus, tota vita sua, inde fructus percipiet, et hoc concessi usque ad redditum mariti mei domini comitis.**

**Nr. 276, Prevenier, *Oorkonden*, pp. 605-608, here 606-7**

**Ego regina Matildis, Flandr[ie] comitissa, et Philippus, march[io] Namucen[sis], notum fieri volumus omnibus tam futuris quam presentibus, quod, eo tempore quo illustris comes Flandrie et Hainonie Balduinis in partibus transmarinis peregrinabatur, cuius terram ego Ph[ilippus], frater eiusdem, tunc temporis custodiebam, Nicholaus, abbas et conventus de Marcenens[so] suam nobis querimoniam patefecerunt super iniuriis et oppressionibus quas Almannus, advocatus eorum, ecclesie cuius tutor esse debebat et potestati crebro inferebat. Die itaque utrique parti a nobis apud Cassellum constituta venerunt. Hinc advocatus, inde abbas, cum maiori et saniori parte sui capituli, qui querimoniam quam de advocate fecerant, coram nobis et tota curia ipso audiente, replicantes, iniurias et oppressiones quas ab eodem non solum ecclesia sed tota potestas sustinebat, per ordinem exposuerunt; inter cetera de hoc plurimum conquerentes quod, in venditione nemorum suorum, quando scilicet propria nemora vendebant vel aquas suas dabant ad censem, advocate inde pecuniam pro servicio violenter extorquebat, de libra XII denarios, et hoc ipsum tota potestas in venditione alnetorum suorum vel arbustorum quorumlibet patiebatur. Cum tamen nullum in hoc ius posset ostendere, nisi solummodo pravam**

consuetudinem quam contra privilegia comitum Flandrie per violentiam introduxerat, nos igitur, ut de premissis certiores efficeremur, Walterum, castellanum Duacensem, et Petrum de Bruech in partes illas remisimus, qui diligentius a scabinis et hominibus potestatis inquirerent an verbis abbatis et monacorum veritas suffragaretur. Cum autem dicti inquisitores, inquisita sub sacramento ab incolis veritate, hoc ipsum ab eis didicissent quod et nos a monacis audieramus, secundo utramque partem apud Cassellum cum inquisitoribus coram nobis citavimus, ubi, com memoratus abbas cum monacis copiam sui exhibuisset, advocatus non comparuit, nec alius pro eo, dictante ergo iusticia, inquisitoribus in fide qua nobis tenebantur precepimus ut, veritate non suppressa, coram nobis et curia, iuxta quod audierant, testificarentur an advocatus aliquid percipere deberet, in ecclesia vel in potestate, supra id quod ei de iure advocationis concessum est ab antiquo; qui, cum in verbo veritatis, coram nobis et testibus subnotis in plena curia perhibuissent quod advocatus nichil in ecclesia vel potestate contra privilegia debebat percipere, a curia nichillominus approbatum est quod idem nec in pratis, nec in aquis, nec in nemoribus vel aliis possessionibus ecclesie sive potestatis, aliquid potest vel debet habere, nisi ea solummodo que sibi pro advocatione debentur, sicut in privilegiis comitum Flandrie continetur.

#### **Nr. 298, Prevenier, Oorkonden, pp.643-44**

Ph[ilippus], marchio Nam[ucensis], R[enero] de Ostkerka et omnibus ballivis et procuratoribus Flandrie et Walacie, tam presentibus quam futuris, salutem. Mando vobis volens utique et **ex parte domini imperatoris Constantinopolitani, Flandrie et Hain[onie] comitis**, districtus precipio, quatinus ecclesiam de Middelb[urg] et omnia bona eius et ministros suos in omni honore et pace conservetis et contra quoscumque inquietatores defendatis et quod dominus episcopus Traiectensis de ecclesia illa et de parrochiis suis ordinaverit ratum haberi faciatis, ita quod nullus parrochianorum facto episcopi ad quem pertinet ordinatio ecclesiarum aude(at) contraire. Cautius igitur attendatis mandatam et preceptum meam tam viriliter et solicite adimplere, quod prefata ecclesia, quam de iure advocatione tueri debeo, mandatum hoc sibi gaudeat profuisse et eam ad pro perturbatione aliqua non oporteat recurrere.

#### **Nr. 62, Littere Baronum, the Earliest Cartulary of the Counts of Champagne, ed. T. Evergates (Toronto, 2003), pp.100-2, here p.100**

Philippus, Dei gratia Francorum rex. Noverint universi presentes pariter et futuri, quod hee sunt conventiones inter nos et dilectam et fidelem nostram Blancham, comitissam Trecensem, et Theobaldum filium ejus:

**Comitissa juravit super sacrosancta quod nullo modo sustinebit quod Theobaldus filius ejus capiat aliqua hominagia de tota terra sua nec faciat alteri, nisi salvis conventionibus hic scriptis inter nos et ipsos.**

**Barones, milites, et homines villarum qui hic subscripti sunt, jurabunt super sacrosancta quod ipsi dicto Theobaldo non facient hominagium nec fidelitatem nisi salvis conventionibus subscriptis inter nos et ipsos; jurabant etiam et inde dabunt litteras suas patentes quod si comitissa vel Theobaldus filius ejus non tenerent nobis conventiones nostras sicut hic continentur, quociens comitissa vel Theobaldus interciperent erga nos, ipsi cum feodis et domaniis suis se bona fide tenerent nobiscum donec esset emendatum ad gratum nostrum.**

**Nr. 61, *Littere Baronum*, p.99**

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilecte in Christo filie nobili mulieri Blanche, comitis Campanie, salutem et apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est, nos facilem prebere consensum et vota, que a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, dilecta in Christo filia, tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, compositionem inter te ac carissimum in Christo filium nostrum Philippum, regem Francorum illustrem, super custodia nati tui, et ab ipso nato eidem regi hominio faciendo, et quibusdam aliis articulis initam, sicut provide facta est, et ab utraque parte sponte recepta et juramento firmata, et in autenticis exinde confectis plenius continetur, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. **Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum.** Datam Laterani, X kalendas decembris, pontificatus nostri anno tercio decimo.

**Nr. 1197, *Layettes, vol.1*, p.438**

Ego Radulphus, vicecomes Sancte Susanne, notum facio universis presentes litteras inspecturis me super sacrosancta jurasse quod bonum et fidele servicium fatiam domino Ph. illustri Francie regi, et quod, **antequam iter arripiam eundi in terram Jerosolimitanam, filium meum primogenitum tradam domino regi et Guillelmo de Ruppibus, senescallo Andegavensi, custodiendum**, et fatiam jurare omnes illos, qui fortericias meas de vicecomitatu Bellimontis custodiunt, quod nemini eas reddent, nisi domino regi vel ejus mandato; et si dominus rex haberet necessitatem de illis fortericiis, eas domino regi vel ejus certo mandato traderent. – Si vero ab eisdem fortericiis amoveo aliquem qui non sit ydoneus ad easdem fortericias custodiendas, ille quem loco ejus ponam prenominatum fatiet juramentum; et si aliquis eorum qui sunt in fortericiis decesserit, ille, qui loco defuncti ponetur, predictum similiter fatiet juramentum, et fatiam jurare omnes milites vicecomitatus predicti quod, si a predictis conventionibus, quod absit, resilirem, ipsi adhererent domino regi contra me, et essent ad servicium et voluntatem domini regis et michi in nocumentum, quounque hoc esset emendatum ad voluntatem domini regis. – Actum Parisius, anno Domini M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup> sextodecimo, mense novembri.